

Hæc propositio, Nullum temporale adueniens æterno ponit aliquid reale in æterno; sic intelligitur, videlicet, quando illud temporale non assumitur in unitate personæ illius æterni.

D. Damasc. lib. 3. c. 11.

D. Damasc. lib. 3. c. 2.

Duo fecit Verbum in assumptione humanæ naturæ, quæ ostendunt duas esse in eo filiationes.

ponit aliquid reale in æterno, non debet concedi simpliciter, sed debet concedi hoc modo, hoc esse verum, dum tamen illud temporale assumatur in unitatem personæ illius æterni, quod solum in Dei Filio veritatem habet, vbi humana natura, quæ est quid temporale, assumpta est in unitatem personæ Filij Dei, siue Verbi, ratione cuius etiam temporalia sunt realiter in persona æterna Verbi, vel in supposito æterno Verbi. Constat autem, quod quælibet natura realis realiter est in suo supposito. Quid ergo dicemus? quomodo saluabimus fidem nostram, quam à cunabulis didicimus? nunquid poterimus dicere, quod natura humana temporaliter assumpta à Verbo non sit quid reale, sed sit quid phantasticum? id autem improbat Damasc. lib. 3. c. 11. dicens: *In Christo est vera incarnatio, non incarnationis fictio.* sed si ponimus veram incarnationem, & veram carnem, vel veram naturam humanam assumptam à Verbo, cum illa natura humana non constituat suppositum, necesse est dicere, quod sustentetur in supposito Verbi, quia non est dare naturam sine supposito, vt vult Damasc. lib. 3. cap. 9. Suppositum ergo Verbi erit suppositum illius naturæ; & quia quælibet natura realis, est realiter in suo supposito: illud dictum: Nullum temporale adueniens æterno, ponit aliquid reale in æterno: fallit, & non est verum, immò est falsum, si illud temporale in unitate personæ æternæ, vel rei æternæ assumatur. Possumus autem, prout ad præsens attinet, duo dicere de assumptione humanæ naturæ facta à Verbo. Primum est quantum ad suppositi suppletionem; secundum est quantum ad unitatem personalem. Primum ergo est quantum ad suppositi suppletionem, quia non potuit Verbum assumere humanitatem, vel humanam naturam, quam assumpsit, nisi supplendo vices illius suppositi, quod constituisset illa natura humana, si non fuisset assumpta à Verbo. Nam, vt iam diximus per Damascenum, non est natura sine hypostasi, vel supposito. Si ergo natura humanam non fuisset assumpta à Verbo, & non esset sustentata in supposito Verbi, constituisset suam hypostasim, vel suum suppositum, quo posito, oportet suppositum Verbi sup-

A plere vicem illius suppositi, quod constituisset natura humana, si non fuisset assumpta. Et per consequens, oportet, quod de supposito Verbi verificentur omnia illa, quæ verificata fuissent de illo supposito, quod constituisset talis natura, si non fuisset sic assumpta. Et quia illud suppositum verè fuisset homo, & verè fuisset filius hominis, & verè haberet in se filiationem realem, per quam referretur ad hominem, idest ad Virginem Matrem, quæ erat homo, ideo oportet vel negare incarnationem, quam fides ponit de Dei Verbo, & Filio, vel concedere, quod Dei Filius verè factus est homo, & est verus homo, verusque filius hominis, & vera, ac reali filiatione, refertur ad hominem, idest, ad Virginem, quæ est homo, quia omnia ista oportet verificari de Dei Filio, siquidem omnia ista fuissent verificata de illo supposito, quod constituisset illa humana natura, si non fuisset assumpta à Verbo. Assumpta autem à Verbo non constituit suppositum sed sustentata est in supposito Verbi, ex qua sustentatione factum est, vt suppositum Verbi omninò suppleret vicem illius suppositi, quod constituisset natura humana, si non fuisset sic assumpta. Ex qua suppletionem verificantur omnia, quæ sunt dicta. Et ideo fundamentum, super quo nos fundamus, est, quod sicut diuina natura potest supplere vicem cuiuslibet nature, sic quodlibet suppositum diuinum potest supplere vicem cuiuslibet alterius suppositi. Aliter enim non potest perfectè intelligi incarnatio, nisi intelligatur quædam natura assumpta à Verbo, quæ de se erat apta nata facere suppositum, assumpta verò à Verbo non facit suppositum, sed sustentata est in supposito Verbi, ex qua sustentatione factum est, vt de supposito Verbi verificentur omnia illa, quæ verificata fuissent in supposito illo, quod constituisset natura illa non assumpta. Dicunt enim scripta communia, quod Christus Dei Filius refertur ad Patrem filiatione æterna, & reali, sed ad Matrem refertur filiatione temporali, non reali, sed secundum rationem tantum, & secundum quendam respectum.

Sed quid dicerent scripta communia, si quereretur ab eis, si illa natura non fuisset assumpta à Verbo, sed constituisset

Quia suppositum Verbi supplet vices suppositi creati, de eo dicitur quædunque dicerentur de supposito creato, cuius vices supplebant.

Sicut diuina natura potest supplere vicem cuiuslibet nature creatæ: ita diuinum suppositum supplere potest vices cuiuscunque suppositi creati.

D. Thom. in loco supra citato.

set de se suppositum. Vtrum illud suppositum reali relatione referretur ad Matrem? cum nullus sanæ mentis hoc negare possit. Non ergo negent Authores scriptorum communium, quod Dei Filius factus homo, non in eo quod Deus, sed in eo quod homo, reali filiatione refertur ad Matrem, quæ etiâ est verè homo. Si ergo in talibus potest cōtingere admiratio, admirarentur quomodo Dei Filius potuit fieri homo, & quomodo fieri potuit, vt non solum esset perfectus Deus, sed etiam perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens. Quo cōcesso, quod sit verus, & perfectus homo, nō licebit negare, quod verè, & perfectè possit esse filius hominis, & quod nō possit reali relatione referri ad Matrè. Diu enim sterimus in hac disputatione, quia posset ex hoc surgere magna pestis, & magnus error, videlicet, quod Dei Filius non esset verè, & perfectè homo, si verè, & perfectè, & reali relatione non referretur ad hominem, idest ad Virginem Matrem.

Postquam ostendimus Dei Filium reali relatione referri ad Matrè, ex suppletionem illius suppositi, quod cōstituisset humana natura, si non fuisset assumpta à Verbo, quia illius suppositi in omnibus suppleuit vicem suppositū Verbi: volumus hoc idem ostendere ex assumptione facta à Verbo de illa natura humana. Nam illa natura humana fuit assumpta a Verbo, non quocunque modo, sed in vnitatem personæ, & inde est, quod sic fuit assumpta illa natura in vnitatem personæ, vt esset vna persona Verbi in vtraque natura, diuina scilicet & humana. Verificabitur ergo de persona Verbi, & de natiuitate, & filiatione Verbi, quicquid verificari debet de eo secundum vtramque naturam. Quare sic accipiens naturam diuinam à Patre realiter, æterna, & reali filiatione refertur ad Patrem, nulla tergiversatione negare possumus, quod accipiens naturam humanam à Matre, verè, & reali filiatione non referatur temporaliter ad Matrem. Nam vt ex dictis communibus supra diximus, hæc est natura relationis, vt realitatem, multitudinem, & vnitatem non habeat in eo, quod est ad aliquid, sed ex suo fundamēto. Si ergo queritur, in quo fundatur filiatio illa æterna, per quâ Dei Filius refertur ad Patrè con-

A stat, quod fundatur in natura diuina, quâ æternaliter accepit à Patre. Pari ergo ratione, si queratur in quo fundatur temporaliter ad Matrem, cōstat, quod fundatur in illa humana natura temporali, quam nascendo temporaliter accepit ex Matre. Si ergo relatio ex suo fundamēto habet realitatem, & quia res quædam est illa natura diuina, quam accepit æternaliter ex Patre, ideo reali filiatione refertur ad Patrem æternaliter. Pari ergo, & per omnem modū simili ratione, quantum ad præsens spectat, quia res quædam est illa natura humana, quâ accepit temporaliter ex Matre, ideo reali filiatione refertur temporaliter ad Matrè. Vel ergo oportet Authores scriptorū communiū negare sua principia quod relatio suam realitatem non habet ex suo fundamēto, quod negare non possunt, quia tunc negarēt propria principia vera, & in veritate fundata, vel oportet concedere, quod Dei Filius, in eo quod homo reali filiatione refertur ad Matrè, sicut in eo, quod Deus reali filiatione refertur ad Patrem. Est enim dupliciter mirandum, si per scripta communia, vt querit quæstio præsens, negatur, quod persona Filij non reali filiatione refertur ad Matrem. Nam, cum cōcedimus, quod natura humana assumpta a Verbo non constituit personam, sed sustentatur in persona Verbi, quia filiatio realis, de qua hîc loquimur, per quâ Christus refertur ad Matrem, fundatur in ipsa natura humana, quâ accepit à Matre, cum relatio à suo fundamēto habeat totâ suam realitatem, concedere fundamentum reale, & negare relationem realem est oppositū in obiecto. Rursus concedere nouitatem realem absolutâ, & negare nouitatem realem relatiuâ est mirabilius quocunque mirabili, quia nouitas absoluta videtur importare nouitatem in habente huiusmodi nouitatem, sed nouitas relatiua etiam realis potest aliam euenire sine aliqua mutatione facta in subiecto ipso, quia potest aliquis de non simili realiter fieri similis, & realiter referri ad suum simile, nulla mutatione facta in ipso: quæ omnia contingunt, quia hoc fuit mirabile inter omnia mirabilia, quod Dei Filius non suam naturam amittens sed formam serui accipiens, factus est homo, & est

Cur Doctor in hac quæstione prolixius immoratus fuerit

De persona Verbi verificatur quæcunque dicitur de vtraque natura in eo subsistente.

Relatio, ex fundamēto habet realitatem, multitudinem, & vnitatem.

Ex dictis D. Thomæ sequitur in Christo duas esse relationes reales propter duas filiationes.

Concedere fundamētū reale, & negare relationem realem est oppositū in obiecto.

Nouitatem realem absolutam necesse est sequitur nouitas realem relatiuam.

Nouitas realis relatiua potest aduenire alicui, nulla mutatione facta in subiecto.

& est simul Deus, & homo, & vt Deus est Dei Filius filiatione naturali, & reali, & vt homo est filius hominis filiatione naturali, & reali.

Dub. Vltima Lateralis.

De relationibus filiationum ratione originis, &c.



VLTERIVS fortè dubitaret aliquis, Vtrum per ea, quæ nos diximus de impedimento multitudinis, & originis realium relationum, possit ostendi, & concludi, quòd Christus reali filiatione non referatur ad Matrem.

RESOLVTIO.

Ex dictis ab Aegidio nihil obstat, quominus in Christo sint duæ reales filiationes, tum ratione fundamenti, quia sunt duo fundamenta realiter distincta, scilicet natura diuina, & natura humana; tum ratione subiecti, quia cum dictæ filiationes differant specie, possunt esse in eodem subiecto, scilicet Christo; tum ratione insufficientiæ principij productiui, quia B. Virgo adiuta Spiritus Sancti virtute in generatione Christi præstitit quicquid aliæ Matres præstare naturaliter solent in productione proli; tum ratione differentia terminorum, quia Christus personaliter differt à Patre, ad quem refertur relatione æterna, & à Matre, ad quam refertur relatione temporali; tum denique ratione nouitatis, & temporis, quia licet humana natura de nouo, & ex tempore adueniret diuino Verbo, tamen assumpta est ab eo in unitatem personæ, ideo relatio inde resultans, non dicitur secundum rationem, vt relatio dominij, sed secundum rem.

*Redulo ex
animat Aegi
dij opinio
nem suam
querens an
ex factis ab
eo fundamē
tis, sequar
tur conclusio
ab eodē
insurgens.*

DICENDVM, quòd vt supra tetigimus, assignabantur tres modi, quibus impediatur multitudo realium relationum, & duo modi, quibus impe-

A diebatur non solum multiplicatio, sed etiam origo realium relationum.

Primus autem modus, secundum quem impediatur multitudo realium relationum sumebatur ex parte fundamenti, quia non sunt tot æqualitates reales, ad quot æqualia refertur aliquod æquale. Nam cum æqualitas fundetur super quantitate, & cum aliquid per vnam, & eandem quantitatem possit esse æquale multis, propter vnum fundamentum quantitatis, non erit nisi vna æqualitas realis, per quam illud æquale refertur ad omnia huiusmodi æqualia.

B Secundum autem impedimentum sumebatur ex parte subiecti. Nam quia in vno, & eodem subiecto non possunt esse plura aliqua eiusdem speciei, ideo si vnus pater carnalis habeat multos filios, vna, & eadem paternitate refertur ad illos multos filios. Si namque hoc esset per plures paternitates reales, quia illæ paternitates non possunt differre specie, cum sint per respectum ad plures filios, qui sunt vnus, & eiusdem speciei, contingeret contrarium eius, quod dictum est, videlicet, quòd in eodem patre essent plures paternitates eiusdem speciei realiter differentes, quod est inconueniens.

C Tertius autem modus impediens talem pluralitatem sumebatur ex parte principij: nam quando vnum principium non est sufficiens ad producendum effectum, & concurrunt plura principia ad producendum eundem effectum, sicut pater, & mater concurrunt ad producendum vnum, & eundem filium, cum in vno, & eodem filio non possint esse duæ filiationes eiusdem speciei, oportet, quòd ille filius vna, & eadem filiatione reali referatur ad patrem, & matrem.

D Nihil autem istorum impedire potest, quin in Christo sint duæ filiationes reales, vna æterna, per quam refertur ad Patrem, & alia temporalis, per quam refertur ad Matrem. Nam primo hoc non potest impediri ex parte fundamenti, cum filiatio æterna, per quam refertur ad Patrem, fundetur in natura diuina, quam accipit æternaliter nascendo à Patre, & filiatio illa temporalis, per quam refertur ad Matrem, fundatur in natura humana, quam accipit nascendo à Matre. Secundo

dò hoc non potest impediri ex parte subiecti, nam hoc solum contingit quando aliqua duo sunt eiusdem speciei, quæ in eodem subiecto esse non possunt; sed constat, quòd filiatio æterna, per quam refertur ad Patrem, & temporalis, per quam refertur ad Matrem, non solum non sunt eiusdem speciei, sed etiam non sunt eiusdem generis, quia temporale, & æternum supponendo mundum incœpisse, sub eodem genere collocari non possunt. Tertio non potest hoc impediri ex insufficietia principij; nam licet Virgo Mater Christi non potuisset habuisse filium sine patre carnali, tamen adiuta virtute Spiritus Sancti fecit ad productionem Filij, quicquid debet facere vera mater, quia mater, loquendo naturaliter, non plus facit ad productionem foetus, nisi administrando materiam, & hoc fecit B. Virgo naturaliter, quia Christus secundum corpus, formatus est ex purissimis sanguinibus Virginis. Totam ergo illam materiam, de qua formatum est corpus Christi, administravit Mater, & sicut hoc sufficit, ut Virgo sit vera, & realis Mater Christi, & vera, & reali maternitate referatur ad Christum temporaliter, sic etiam sufficit, ad hoc, quòd Christus sit verus, & realis Filius Virginis Matris, & ad hoc, quod vera, & reali filiatione referatur ad Virginem Matrem. Sunt ergo duæ filiationes reales in Christo, vna per quam, ut Deus, & Dei Filius refertur æternaliter ad Patrem, & alia, per quam, ut homo, & hominis filius refertur ad Matrem temporaliter, non obstantibus tribus impedimentis supradictis, impredientibus pluralificationem, vel multitudinem relationum, vel filiationum realium.

Viso quomodo in Christo sunt duæ filiationes reales, non obstantibus illis tribus impedimentis, quibus impeditur multiplicatio relationum, vel filiationum realium, volumus ostendere, quomodo in Christo sunt plures filiationes reales, non obstantibus illis duobus modis superioribus assignatis, quibus impeditur non solum multitudo, sed etiam origo realium relationum, quorum primus erat indifferentia temporum, secundus erat novitas, & temporalitas rerum. Propter primum, cum dicitur idem eidem idem, ista rela-

tio, qua idem refertur ad seipsum, differentiam realem, simpliciter loquendo, habere non potest. Sed hoc non potest impedire duas reales relationes, siue filiationes in Christo, æternam scilicet, qua realiter refertur ad Patrem, & temporalem, qua realiter refertur ad Matrem, nam secundum ultimam filiationem est ibi realis, & temporalis differentia terminorum, Christus enim realiter, & personaliter differt à Patre, ad quem refertur æternaliter filiatione æterna. Sicut etiam realiter, & personaliter differt à Matre, ad quam temporaliter, & realiter refertur filiatione temporali. Nec etiam secundus modus sumptus ex novitate, & temporalitate rerum, potest hoc impedire. Verum est autem, quòd ille modus impedit relationem realem Dei ad creaturam, Nam si Deus de nouo, & ex tempore factus est Dominus creaturæ, illa tamen relatio, secundum quam Deus, ut Dominus refertur ad creaturam, non est realiter in Deo, sed solum in creatura; quòd ideo contingit, ut supra dicebatur, quòd nullum nouum, vel temporale adueniens æterno, ponit aliquid reale in æterno; sed hæc propositio, ut etiam supra diximus, quòd nullum nouum, vel temporale adueniens æterno, ponit aliquid realiter in re æterna, intelligendum est solum, si illud nouum, & temporale non recipiatur in vnitatem personæ rei æternæ: nam humana natura, quæ est quid nouum, & temporale, quia assumpta est in vnitatem personæ rei æternæ, ponit aliquid nouum in re æterna, & realiter, cum assumpta sit talis natura in vnitatem personæ æternæ, nam illa natura sic assumpta est in persona Verbi. Dicere ergo, quòd natura illa humana assumpta à Verbo, non fuerit vera res, & per consequens non fuerit ibi incarnatio, sed incarnationis fictio, ut probauimus per Damasc. lib. 3. cap. 11. non sapit sanam doctrinam. Dicere etiam, quòd natura aliqua vera, & realis non ponit rem aliquam in persona, cuius est illa natura, non est quid intelligibile. Humanæ ergo nature assumptio in vnitatem personæ Verbi facit, quòd vna persona Verbi sit verè, & realiter in duabus naturis, & illa vna persona diuina sit verè,

B. Virgo virginitate Spiritus S. adiuta, in productione filij fecit, quicquid debet facere vera mater: naturaliter enim materiam purissimam sanguinis minuit.

Ex parte indifferentiæ vel nouitatis temporalis non tollitur, quia Christus duplici relatione reali referatur ad Patrem, & ad Matrem; æterna scilicet, & temporalis.

In 1. sent. negat Aegidius hunc modum loquendi in personis diuinis, scilicet Filium realiter differt à Patre; debet enim dici, Filius distinguitur realiter à Patre: hæc autem dicitur Christus differt realiter à Patre Aduertendum est ergo in 1. sent. loqui de Filio Dei, ut sic. hic autem loquitur de Christo, ut est Deus, & homo, & ita utriusque habere dictum.

hæc opinio, quæ deducitur ex contrariis opinionibus.

D. Damasc. lib. 3. c. 11.

D. P. Aug. 1.
de Trin. c.
23, tom. 3.

verè, & realiter Deus propter naturam diuinam, & verè, & realiter homo propter naturam humanam. Propter quod dicit August. 1. de Trin. cap. 13. *Talis fuit illa susceptio, qua Deum faceret hominem, & hominem faceret Deum.* est ergo vnus, & idem Christus, Deus, quia est filius Dei, & homo, quia est filius hominis. Et quia non est Deus, vel Filius Dei, nisi per naturam diuinam, quam accepit æternaliter à Patre, nec est homo, vel filius hominis, nisi per naturam humanam, quam accepit temporaliter à Matre, sicut realiter, & reali filiatione refertur æternaliter ad Patrem, à quo accepit naturam diuinam æternam: sic realiter, & reali filiatione refertur temporaliter ad Matrem, ex qua accepit naturam humanam temporalem.

Soluenda sunt ergo argumenta ad utramque partem, vel vt magis propriè loquamur, argumenta ad partem illam, quæ afferit, quòd non sunt plures, idest, duæ filiationes reales in Christo, sunt etenim contra nos, & contra veritatem. Argumenta verò ad partem aliam, quia sunt pro nobis, & pro veritate conclusionis gratia approbamus, sed solutiones eorundem argumentorum, quæ in scriptis comm. unibus assignantur, studebimus remouere, & etiam improbare.

RESP. AD ARGUMENTA.

Filiatione esse proprietatem personalem dupliciter intelligi potest: vel absolute, vel mediante natura: primo modo negatur, secundo modo conceditur.

Ad primum dicendum, quòd filiatio est proprietas personalis, si ergo natura humana non esset assumpta à Verbo in vnitatem personæ, non possemus saluare in vna personâ Christi, esse duas filiationes; sed quia natura humana fuit assumpta à Verbo in vnitatem personæ, sicut in vna persona Verbi sunt duæ naturæ, diuina, & humana, sic in vna, & eadem persona Verbi sunt duæ reales filiationes, vna fundata in natura diuina, quam accepit æternaliter à Patre, & alia fundata in natura humana, quam accepit temporaliter ex Matre. Saluamus ergo, & concedimus, quòd filiatio est proprietas personæ, sed dicimus, quòd est talis proprietas mediante naturâ. Si ergo non accepisset naturam diuinam a Patre, non esset filius Patris, & si non accepisset naturam hu-

manam ex Matre, non esset filius Matris, accipiendo aliam, & aliam naturam ab vtroque, est filius vtriusque. Christus ergo est verus, & realis Deus, & vera, & reali filiatione refertur ad Patrem, a quo accepit Deitatem, & est verè, & realiter homo, & vera, & reali filiatione refertur ad Matrem, ex qua accepit humanitatem.

Ad secundum dicendum, quòd filius carnalis vna, & eadem filiatione refertur ad Patrem, & ad Matrem, sed hoc dico, quia nonnisi naturam accepit ab vtroque, & quia illa natura non potest esse fundamentum, nisi vnus filiationis, & quia vera filiatio, & omnis relatio a fundamento accipit multitudinem, & vnitatem (vt supra habitum est, etiam ex fundamento dictorum communium) ideo ex vna tali natura accepta, & vno fundamento, nonnisi vna filiatione refertur filius carnalis ad patrem, & matrem. Sed non sic est in proposito: quia Christus Dei Filius in eo quod Deus, & filius Virginis, in eo, quod homo, non eandem naturam, sed aliam, & aliam accepit a Patre, & Matre, ideo non eadem filiatione, sed alia, & alia filiationi, etiam reali, cum vtrique filiatione respondeat alia, & alia natura, & aliud, & aliud fundamentum refertur Christus Dei Filius, & Virginis Filius ad patrem, & matrem.

Ad tertium dicendum, quòd plura aliqua non possunt esse in eodem supposito, verum est si plura illa aliqua sunt eiusdem speciei, sed si non sint eiusdem speciei; nec sint eiusdem generis, etiam in supposito creato, quod est finitum, & limitatum, & non potest supplere vicem alterius suppositi, possunt esse plura non eiusdem generis, quia in eodem supposito etiam limitato, & creato sunt plura diuersorum generum, quia sunt ibi substantia, quantitas, qualitas, multo magis possunt esse in supposito diuino, quod est suppositum infinitum, & potest supplere vicem alterius suppositi, quia suppleuit, & supplet vicem illius, quod constituisset natura humana, si non fuisset assumpta ab ipso. Ex quibus omnibus possumus multipliciter arguere veritatem intentam. nam si sunt in Christo diuina natura, & humana realiter differentes, non solum specie, sed

Non currit similitudo de patre, & matre carnali: & de Patre diuino, & Matre carnali, si que habuit Christus, quia illi ambo tribuunt eandem naturâ Filio, sunt enim ambo eiusdem speciei & tribuunt duas naturas, Patre diuina, & Matre humanam, quæ naturæ differunt genere, sic differunt etiam personæ Patris, & Matris.

Aliqua plura esse in eodem supposito bisarian intellegi potest: vel quod illa plura sint eiusdem speciei: vel quod differant specie: primo modo negatur, secundo modo conceditur.

sed etiam genere, sunt in ipso vno, & eodem supposito duo fundamenta realia, duarum realium filiationum, ideo cogimur concedere duas reales filiationes esse in ipso. Rursus, si suppositum Verbi suppleuit, & supplet in omnibus vicem illius suppositi, quod constituisset humana natura, si non fuisset à Verbo assumpta, quia illud suppositum reali filiatione referretur ad Matrem, quia de filiatione qua Christus refertur ad Patrem, nulla est quæstio: omnes enim concedunt illam esse realem, ideo si benè considerentur præhabita de filiatione, qua refertur ad Matrem, nulla etiam debet esse quæstio, quia omnes debent concedere eam esse realem.

Ad quartum dicendum, quòd argumentum multipliciter deficit, nam totum continuum refertur ad omnes suas partes per vnam, & eandem quantitatem; quia totum, in eo quod totum, habet suam quantitatem completam, & perfectam: etenim, vt dicitur in 3. phys. totum, & perfectum, idem, vel proximum secundum naturam. Refertur autem totum continuum ad omnes suas partes, tanquam ad habentia quantitatem imperfectam, & incompletam, & quia vnum est fundamentum omnium relationum, per quas refertur totum contrarium ad suas partes, ideo ratione vnitatis fundamenti non possunt esse plures tales relationes reales, quia (vt dictum est) relatio realis ex suo fundamento habet multitudinem, & vnitatem. Rursus omnes tales relationes sunt eiusdem rationis, quia sunt eiusdem totius, quod se habet vt perfectum, & completum ad suas partes, quæ se habent vt quid imperfectum, & incompletum, & quia relationes reales eiusdem rationis in eodem supposito plurificari non possunt, ideo vna, & eadem relatione reali refertur continuum ad omnes suas partes, quotcunque esse dicuntur; sed non sic est in proposito, quia filiatio, per quam Christus refertur ad Patrem, & per quam refertur ad Matrem, habet aliud & aliud fundamentum, siquidè, vt refertur ad Patrem, fundatur illa relatio in diuina essentia, quam accipit nascendo ex Patre, sed filiatio, per quam refertur ad Matrem, fundatur in natura humana, quam ac-

A pit nascendo ex Matre. Aduertendum, autem, quod diximus, filiationem Christi, per quam refertur ad Patrem, fundari in natura diuina, quam accipit nascendo ex Patre, quia in illa eternitate, qua mensuratur generatio diuina, nihil est præteritum, vel futurum, sed totum est præsens, & etiam, vt est præsens, est alio modo præsens, quàm sint alia. Et ideo Dionys. lib. 5. de diuin. nomin. ait de Deo. *Deus nec fuit, nec erit, quia non est in eo, nec præteritum, nec futurum;* & subdit: *Magis autem nec est, quia non est in eo duratio præsens, vt est in alijs rebus.* Sed diximus filiationem, per quam Deus refertur ad Matrem fundari in natura humana, quam accipit temporaliter ex Matre, quia acceptio illius naturæ prius fuit futura, postea fuit præsens, nunc autem est præterita: ideo signanter de præterito diximus, quod illam naturam accepit ex Matre. Rursus filiatio hæc, & illa non sunt eiusdem rationis, simpliciter loquendo, quia non solum non sunt eiusdem speciei, sed etiam non sunt eiusdem generis, quia fundantur in natura diuina, & humana, quæ differunt genere. Et ideo Apostolus ad Philip. 2. vtramque formam, vel vtramque naturam, quam habet in se Christus non comparat, vt plenum ad plenum, sed vt vacuum, & plenum, dicens de Deo Filio; *Exinaniuit semetipsum, idest, euacuauit semetipsum, non formam Deitatis perdens, sed formam serui accipiens.*

Quoniam soluimus argumenta ad partem illam, quòd in Christo non sunt duæ filiationes reales, quia argumenta illa erant contra nos, & contra veritatem: volumus argumenta in contrariam partem, probantia in Christo esse duas filiationes reales non soluere, sed solutiones ad ea per scripta communia datas amouere. Dicunt enim scripta communia ad argumentum primum, quo arguitur in Christo esse duas filiationes reales, quòd multiplicata causa multiplicatur effectus: sed natiuitas est causa filiationis: cum ergo in Christo sint duæ natiuitates, erunt in ipso duæ filiationes. Respondent, quòd natiuitas temporalis, siue generatio passiva Christi est quædam passio, quæ secundum rem fundatur in natura humana, & ex hoc Christus dicitur

D. Diouys.
lib 5. de di
uin. nom.

Philip. c. 2.

Solutiones
argumento
rum contra
riam partem
probatum
à D. Tho.
assignatz,
ab Aegidio
is sufficien
tes ostendit
tur, & amo
uentur.

Solutio præ
mi argu
menti.

tur

Arist. 3. phys.
sic. t. c. 64.

Non est qua ratio de toto continuo respectu suarum partium, & de Christo respectu Patris, & Matris, quia continuum refertur ad omnes suas partes per vnam & eandem quantitatem: sed Christus refertur ad Patrem, & ad Matrem per duas relationes fundatas in duabus naturis genere distinctibus.

tur natus, sicut dicitur homo, filiationis autē subiectum non est natura, sed supposito, quia filius dicit quid completum in specie, & hoc non competit naturæ, sed supposito. Et ex hoc volunt soluere, quod licet in Christo sint duæ natiuitates reales, non tamen hæ duæ natiuitates reales causant duas filiationes reales, sed causant vnā filiationem realem, videlicet filiationem æternam, & aliam secundum rationem tantum.

Ostenditur
insufficiētia
solu-
tionis argumē-
ti primi ex
triplici de-
fectu.

D. Damasc.
lib. 3. c. 34.

Sed ista solutio videtur multum deficere, dum facit differentiam inter natiuitatem, & filiationem, asseritque, quod natiuitas competit naturæ, filiatio autem competit supposito: sed constat, quod vtrumque tam filiatio, quam natiuitas competit ipsi supposito. Propter quod Damasc. lib. 3. cap. 34. ait: *Nasci non est natura, sed hypostaseos*: sic etiam generari, vel esse filium, vt ibidem innuit, est ipsius hypostasis. ait enim ibidem: *Sancta Dei Genitrix hypostasim genuit*, non est autem in Christo nisi vna hypostasis, & vnum suppositum, quod Dei Genitrix genuit, & quod est eius filius. Deficit ergo dictum commune quantum ad istam differentiam, quam vult assignare inter natiuitatem, & filiationem. Deficit secundò, quia concedit passionem temporalem, & realem de supposito Verbi, & non concedit realem relationem de ipso, cum multoties passio temporalis magis opponatur æternitati, quam relatio temporalis. Propter quod si passio temporalis potest competere realiter rei æternæ in supposito æterno in humana natura, multo magis relatio, vel filiatio temporalis potest realiter competere rei æternæ, id est supposito æterno. Deficit etiam & tertio dictum commune, quod per natiuitatem illam suppositum æternum, id est Dei Filius factus est homo, quod est quid absolutum, & constat, quod factus est homo realiter, quia non factus est homo, secundum similitudinem, & fictionem, & timent concedere, quod Dei Filius, qui factus est homo realiter, quod dicit quid absolutum sit factus filius hominis realiter, quod dicit quid relatiuum. Immo, quia Dei Filius, qui est suppositum æternum, non est factus homo, nisi quia est factus filius hominis, sicut oportet eos con-

Acedere, quod sit factus homo realiter, ita concedunt, quod factus est realiter filius hominis, & sicut filiatione reali refertur ad Patrem, sic etiam filiatione reali refertur ad Matrem.

Respondent autem dicta communia ad secundum argumentum, quod esse relatiuum est ad alterum se habere, sed hoc esse non sumitur, vt est actus entis, quia tale esse non habet realiter ex eo, quod dicitur ad aliquid, sed ex suo subiecto, ex quo habet tale esse, non solum relatio, sed omnia alia accidentia. Accipitur ergo ibi esse pro ratione definitiua, quia esse definitiuum relationis est ad aliud se habere; & ex hoc descendunt ista dicta communia, quod cum ratio, siue definitio relationis sit ex respectu ad alterum, Filius Dei, ex eo quod refertur ad Matrem, quia dicitur filius matris, non oportet hanc aliam filiationem esse secundum rem, sed solum aliū relationis respectum.

Solutio se-
cundi argu-
menti.

Sed mirum est de sic loquentibus, quia cum huiusmodi filiationis, qua Christus refertur ad Matrem, ponatur aliud fundamentum reale, quia ponitur natura humana, quam accepit Christus nascendo temporaliter ex Matre, & filiationis, qua refertur Christus ad Patrem æternaliter, ponatur natura diuina, quam accepit Filius à Patre, nascendo ab ipso æternaliter, cum ergo ponantur duo fundamenta realia, oportet ponere duas filiationes reales, cum istimet sic loquentes concedant, quod multitudinem, & vnitatem, realiter habet relatio ex suo fundamento.

Præfatæ so-
lutionis de
secundo mon-
stratur.

Ad tertium autem argumentum respondent scripta communia, quod posita maternitate, in Christo ponitur alius respectus, & remota remouetur à Christo ille respectus: sed non oportet ex hoc, quod ponatur in Christo vna filiatio realis.

Solutio ter-
tij argumē-
ti.

Sed hoc non sufficit, nam si est in Christo alia natura realis, in qua fundatur filiatio, per quam Christus refertur ad Matrem, oportet propter aliud fundamentum reale, ex quo habet relatio multitudinem, & vnitatem, quod sit alia filiatio realis, per quam Christus refertur ad Matrem, & alia, per quam refertur ad Patrem.

Reijcitur
allata solu-
tio.

Solutio
quarti argu-
menti.

Ad quartum autem respondent dicta communia, non esse simile de motu, & relatione, quia omnis motus secundum se est aliquid secundum rem, non autem omnis relatio; unde quamuis ex terminis multiplicentur respectus relationis, non tamen oportet, quod ex talibus terminis multiplicentur, secundum rem relationes, sicut motus multiplicantur secundum rem, ex diuersitate terminorum.

Offenditur
dictam solu-
tionem esse
incomplete-
tam.

Sed hæc solutio est valde incompleta, quia in materia, in qua loquuntur, est multiplicatio fundamentorum realium, ex quibus sumitur, & causatur multiplicatio realium relationum. Cum ergo dicitur, quod motus est aliquid, idest, est aliqua res, secundum se, sed non relatio. Dicitur debet, quod & relatio est aliqua res secundum se, quando habet reale fundamentum, & quia sic est in proposito, quia vtraque filiatio Christi, tam secundum naturam diuinam, quam secundum naturam humanam habet reale fundamentum, quia filiatio respectu Dei Patris habet pro fundamento naturam diuinam; filiatio verò respectu Virginis Matris habet pro fundamento naturam humanam, ideo vtraque filiatio est realis, & Christus reali filiatione refertur ad Patrem, ex quo nascendo accepit naturam diuinam, & etiam reali filiatione refertur ad Matrem, ex qua nascendo accepit naturam humanam.

Solutio
quinti argu-
menti.

Ad quintum autem respondent dicta communia, quod respectus scientiæ ad scientem, & ad scibile, non est vnius rationis, sed eius, idest scientiæ ad scientem inest ei, idest scientiæ ex eo quod est accidens. Respectus autem eius, idest, scientiæ, ex eo quod est ad scibile, inest ei, prout est scientia. Unde si referretur scientia, secundum quod huiusmodi ad vtrūque, oporteret, quod essent respectus diuersi, secundum speciem: sed respectus filij ad patrem, & ad matrem, est ad terminos vnius rationis, unde non oportet, quod sit diuersa relatio, nec secundum speciem, nec secundum rem.

Responsio
data est so-
phistica,
ideo rejic-
ienda.

Sed, vt patet, hæc responsio est multum sophistica. Nam respectu Filij, idest Christi, ad Patrem, & ad Matrem, est aliquo modo eiusdem rationis, quia & ad Patrē refertur filiatione naturali, & reali,

A & ad matrem refertur filiatione naturali, & reali, quia accepit ab ea naturam humanam, tamen hæc natura, & illa differunt genere, nec dicuntur vniuocè, quia non solum non sunt eiusdem speciei, sed etiam nec sunt eadem genere. Scripta ergo communia dicentia has duas filiationes esse eiusdem rationis, vel eiusdem speciei manifestè supponunt falsum, vt est per habita declaratum.

Solutio sex-
ti argumen-
ti.

Ad sextum autem respondent dicta communia, quod si Pater carnem assumpsisset de Virgine, esset filius Virginis, non quidem per aliquam realem relationem, siue filiationem, cuius suppositum æternum esset, sed per respectum rationis tantum.

Sed hoc etiam est valde mirabile, quod concedamus Christum Dei Filium naturam humanam assumpsisse ex Virgine, & dicamus naturam illam assumptam, non constituisse suppositum, sed sustentatam esse in supposito Verbi, vel persona. Et cum dicamus non esse ibi realem filiationem respectu suppositi æterni, concedamus suppositum illud æternum accepisse naturam humanam ex Virgine, in qua humana natura fundatur relatio, per quam Christus Dei Filius refertur ad Matrem. Dicere enim fundamentum relationis esse reale, & negare filiationem realem, sic fundatam, esse quid reale, cum relatio ex suo fundamento habeat totam suam realitatem, est dicere oppositum in adiecto.

Refellitur
precedens
solutio,
quia dicit
oppositum
in adiecto.

D His itaque omnibus transcursis concedimus in Christo esse duas filiationes reales fundatas super duo fundamenta realia, & realiter distincta, videlicet filiatio æterna, per quam refertur ad Patrem: & hæc fundatur super naturam diuinam æternam, quam accepit nascendo à Patre, & filiatio temporalis, per quam refertur realiter ad Matrem, & hæc fundatur super naturam humanam temporalem, quam accepit temporaliter nascendo ex Matre, & hæc sufficient de presenti quæstio cum suis annexis.

ARTIC. III.

Vtrum vtraque filiatio, æterna, & temporalis sit in Christo naturalis.

Conclusio est affirmatiua.

Ricch.in 3.d.8.q.3.



TERTIO quæritur. Vtrum vtraque filiatio, æterna, & temporalis sit in Christo naturalis. Et quia non est dubium, quòd æterna filiatio sit in Christo naturalis: quod omnes concedunt. Reducemus quæstionem propositam ad filiationem Christi temporalem. Vtrum sit in Christo naturalis. Et videtur quòd non. quia omnis filius naturaliter producitur: sed Christus natus est de Virgine non naturaliter, sed miraculosè: ergo ratione natiuitatis illius non potest dici filius naturalis.

Præterea. Ex hoc non habet aliquis, vt sit filius alterius naturalis, quia est similis ei in natura, tunc enim Spiritus Sanctus esset Patris, & Filij filius, cum sit eis similis, in natura, & cum sit ab eis productus in identitate nature: pari ergo ratione, Christus non est Virginis filius naturalis, quamuis sit ab ea productus similis in natura.

Præterea. Ad hoc, quòd aliquis sit alicuius filius naturalis, non sufficit, quòd sit ei similis in natura, sed requiritur, quòd sit productus naturaliter. Cum ergo natura nūquam sua iura mutauerit, quod Virgo pareret, & virginitate careret. Sanctissima Virgo Dei Genitrix, quæ post partum immaculata permanfit, quia virgo fuit ante partum, & virgo post partum, suum filium Christum naturaliter generare non potuit.

Præterea dicitur Ieremię 31. *Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum.* Alię ergo mulieres, quæ naturaliter generauerunt, primò circumdantur embryonem viuentem vita plantæ; sed in vtero B. Virginis in illo instanti, in quo ipsa dixit: *Ecce Ancilla Do-*

A *mini fiat mihi secundum verbum tuum.* factum est (vt dicunt Sancti) Verbum caro, idest, Verbum homo; ergo B. Virgo non prius circumdauit embryonem viuentem vita plantæ, & post embryonem viuentem vita animalis, sicut faciunt ceterę mulieres prægnantes, sed statim in eodem instanti, circumdauit virum, & hominem, quia statim cum consensit verbis Angeli, factum est in eius vtero Verbum caro, idest Verbum homo, vel Verbum vir. Et quia hoc fuit nouum, quod fecit Dominus super terram, vt fœmina circumdauerit virum, & nunquam fuit hoc factum: ergo non fuit naturale, sed miraculosum.

B IN CONTRARIVM est, quia Christus est filius Virginis (vt tota tenet Ecclesia) sed non est filius per creationem, nec per adoptionem, ergo est eius filius naturalis.

Præterea. Omne, quod natum est ex aliquo, & est eiusdem speciei cum illo, est eius filius naturalis. Nec valet obiectio de Spiritu Sancto, quia licet Spiritus Sanctus procedat à Patre, & à Filio, & habeat eandem naturam cum Patre, & Filio; tamen non procedit à Patre, & Filio, vt natus, sed vt datus, & vt donum, & vt amor Patris, & Filij, sed Christus processit, vt natus ex Virgine, & vt habens eandem naturam cum Virgine, est filius naturalis ipsius Virginis.

Spiritus S. licet procedat à Patre, & Filio similis in natura: tamen quia non procedit vt natus, sed vt datus, ideo non potest dici filius.

RESOLVTIO.

C *Temporalis Christi filiatio fuit naturalis, quia B. Virgo in eius conceptione fecit totum illud naturaliter, quod alię matres in suorum filiorum conceptione agere solent. Fuit tamen ibi triplex miraculum, primum quia Christus non ex virili semine, sed virtute Spiritus Sancti fuit conceptus. Secundum, quia B. Virgo in instanti circumdauit virum. Tertium, quia proles exijt vtero clauso.*

D RESPONDEO dicendum, quòd Christus est filius naturalis Virginis: sunt enim in quocunque filio duo consideranda, videlicet, illud, quod facit Pater, & illud quod facit Mater. Quantum autem est ex principio actiuo, & quantum ad illud,

Iud, quod facit Pater, Christus fuit conceptus miraculose, & fuit ibi triplex miraculum: vnum quantum ad ipsam conceptionem, aliud quantum ad conceptionis modum. Tertium quantum ad exitum Christi ex Virginis utero.

Respectu principij alicui Christi miraculose fuit conceptus, triplex, in eo miraculum cernitur.

Primum ergo miraculum fuit quantum ad ipsam conceptionem actiuam, quia ceteri homines conceptione actiua concepti fuerunt virtute virilis seminis: sed

Primum miraculum in conceptione, quod non fuit ex virili semine, sed virtute Spiritus Sancti.

B. Virgo concepit Filium miraculose virtute Spiritus Sancti: & ideo loquente

Luc. c. i.

Virgine ad Angelum, cum ipsa quaesisset: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Respondens Angelus dixit ei: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi:* quasi dicat,

Altissimi virtutem Spiritus Sancti obumbrabit quid sit.

superueniet in te: ex qua superuentione virtus Altissimi, idest Dei Filius, qui est virtus, & sapientia Patris, obumbrabit tibi, idest, umbram carnis accipiet in te; & ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur

Filius Dei. Verè ergo quod natum fuit ex Virgine, fuit sanctum, quia fuit natum, & conceptum virtute Spiritus Sancti, & verè illud natum, & conceptum

debat vocari Filius Dei, quia virtus Altissimi, Dei Filius, qui est virtus, & sapientia Dei Altissimi, debet obumbrare sibi, idest Virgini, quia debet umbram carnis, per quam Dei Filius esset homo, accipere ex Virgine. Benè ergo dictum est, quod primum miraculum fuit ibi,

quantum ad conceptionem, quia illa conceptio non fuit facta virtute naturali, idest virili semine, sed mystico spiramine. Vel benè dictum est, quod primum miraculum fuit ibi quantum ad ipsam conceptionem, quia illa conceptio non fuit facta virtute naturali, sed virtute supernaturali, idest virtute Spiritus Sancti.

Secundum miraculum fuit ibi quantum ad concipiendi modum, quia Beata Virgo, non sicut alie mulieres, primò circumdauit embryonem, viuentem vitam, & postea circumdauit embryonem, viuentem vitam animalis. Sed in illo instanti, in quo dixit Virgo: *Ecce Ancilla Domini*, &c. circumdauit foetum, idest filium viuentem vitam hominis, & ideo hoc fuit nouum, & miraculum, quod fecit Dominus super terram, quia foemina circumdedit virum, Siquidem non prius circumdauit

Secundum miraculum fuit ratione modi concipiendi, quia Beata Virgo in instanti circumdauit virum.

virum, Siquidem non prius circumdedit virum, Siquidem non prius circumdedit

virum, Siquidem non prius circumdedit

virum, Siquidem non prius circumdedit

virum, Siquidem non prius circumdedit

virum, Siquidem non prius circumdedit

cundauit embryonem, sicut alie mulieres, sed in vno, & eodem instanti, Virgo beatissima circumdauit virum, idest hominem.

Tertium autem miraculum fuit in Christo, quantum ad exitum ex utero. Quia secundum Gregorium, sicut intrauit ad discipulos Christus post resurrectionem suam ianuis clausis, sic exiuit de utero Virginis clauso: sed post resurrectionem non fuit miraculum, quia habebat dotem subtilitatis, vt posset subintrare aliud corpus, non scisso, vel non cedente alio corpore: sed in exitu ex utero Virginis fuit miraculum, quia nondum habebat talem dotem, licet miraculose accepisset actum illius dotis.

Tertium miraculum fuit respectu exitus ex utero: quia non fuit utero clauso. D. Greg. hom. 16. in Euang.

Post resurrectionem, Christus intrauit ad discipulos in euanaculum iannis clausis, non fuit miraculum ob dotem subtilitatis.

His autem tribus non obstantibus possumus rationabiliter substinere, Beatam Virginem fuisse Matrem Christi naturalem, & Christum fuisse eius filium naturalem: fuit enim B. Virgo Mater Christi naturalis, quia ad conceptionem Christi fecit totum illud naturaliter, quod debet ibi facere vera Mater. Nam non spectat ad matrem naturalem aliud, nisi exhibere materiam dispositam ad conceptionem foetus. Ipsa autem materia disposita, est ipse sanguis foemine, ex quo conceptus est foetus: talem ergo materiam, vel talem sanguinem purissimum exhibendo Virgo, & faciendo illud totum, quod faciunt alie mulieres matres aliorum filiorum, naturaliter fuit prefata Virgo Christi mater naturalis, & per consequens fuit Christus eius filius naturalis.

Maria Virgo fuit vera Christi Mater, quia in conceptione eius fecit totum illud naturaliter, quod alie matres faciunt solent.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod Christus natus est de Maria Virgine miraculose, quantum ad ea, que spectant ad patrem, & ad semen viri, sed non quantum ad ea que spectant ad matrem, cuius est solum administrare materiam, vel sanguinem, de quo, virtute Spiritus Sancti formatum est corpus Christi.

Christus natus est miraculose ratione eorum, que spectant ad patrem, non ratione eorum, que ad matrem.

Ad secundum dicendum, quod Christus fuit natus ex Virgine, & fuit ei similis in natura humana, & vt homo fuit eiusdem speciei cum Virgine Matre. Propter quod, vt alias diximus, non est simile de Spiritu Sancto respectu Patris, & Fi-

Non est simile de Spiritu Sancto, vt dictum est in 1. argum. in contr.

lij, quod non procedat ab eis, vt natus, A
sed vt datus, & donum quoddam, & vt
amor.

Christi exi-
tus ex vte-
ro fuit mi-
raculosus:
non autem
eius nativi-
tas respectu
eorum, quæ
mater mini-
strare solet

Ad tertium dicendum, quòd Christus
exiuit de vtero Virginis miraculosè: sed
propter hoc non videtur, quòd non sit fi-
lius Virginis naturalis, quia Virgo in
conceptione, & in natiuitate eius ad-
ministrando materiam fecit totum, quod
naturaliter debet facere vera mater.

Virgo cir-
cundauit vi-
rum in instan-
ti, non vte-
rute pro-
pria, sed vir-
tute Spiritus
S. & ita
non fuit mi-
raculū ex
parte eius,
sed ex par-
te totius
Trinitatis,
& appro-
priate Spi-
ritus S.

Ad quartum dicendum, quòd Beata
Virgo in concipiendo Christum, non sic
cut aliæ mulieres primò circumdauit em-
bryonem, viuentem vita plantæ, postea
vita animalis, & vltimò viuentem vita
hominis: sed in illo instanti, in quo di-
xit: *Ecce ancilla Domini*, circumdauit vi-
rum, & fuit Verbum in vtero, Verbum car-
o, idest Verbum homo: in hoc autem non
fuit miraculum ex parte Virginis, quæ so-
lūm administrauit materiam: fuit etenim
miraculum ex parte totius Trinitatis, &
appropriatè Spiritus Sancti, cuius virtute
hoc factum est. Sed dices, quòd etiam

obiectio,

fuit miraculum ex parte Virginis Matris,
quomodo potuit tantam simul, & semel
administrare materiam, de qua formare-
tur totus homo, Sed ad hanc quæstionem

Magist. hist.

Magister in histo-
rijs, componendo Historiam Euangeli-
cam, dicens: *Cum ait Maria Angelo, fiat
mibi secundum verbum tuum, conceptus
est Christus de Virgine plenus homo in ani-
ma, & carne, ita tamen quòd lineamenta
membrorum visibus discerni non possent,
& quod ita fuit modicæ quantitatis cor-
pus Christi in suo primordio conceptio-
nis, vt sine miraculo potuerit Virgo ad-
ministrare tantam materiam*. Sic etiam, &
alij homines in sui primordio cum eis in-
funditur anima, sunt valdè modicæ quan-
tatis, & quod apponitur ibi tantum de
tempore ad formandum corpus; tam mo-
dicæ quantitatis, hoc non est ex parte
Matris, quando posset tantam simul ad-
ministrare materiam, sed hoc est ex par-
te virtutis seminis viri, quæ non

potest sic subitò operari, sicut
operata est virtus Spi-
ritus San-
cti.

Dub. Lateralis.

*Utrum debeat concedi, quòd Christus
sit duo filij. Conclusio est ne-
gatiua.*

Ricchar. d. 8. q. 1. art. 2. Alensis 3. p. q. 10. memb. 2.



LET I V S
cum dictum sit
in Christo esse
duas reales fi-
liationes, vnam
qua refertur ad
Patrem æterna-
liter, à quo na-
scendo accepit

B

materiam diuinam, & aliam, qua refertur
ad Matrem temporaliter, ex qua nascen-
do accepit naturam humanam in tempo-
re, cum ergo in Christo sint duæ reales
filiationes. Dubitaret aliquis, Vtrum de-
beat concedi, quòd Christus sit duo filij.

RESOLVTIO.

*Nullò modo concedi debet, quòd Christus sit
duo filij, quia in eo est vnum tantum
suppositum: quamuis in eodem sint duæ
reales filiationes, & duæ natiuitates,
propter duas naturas, diuinam scilicet,
& humanam.*

D

RESPONDEO dicendum, quòd
quamuis in Christo sint duæ filiationes
reales, non tamen debet concedi, quòd
Christus sit duo filij, sed quod est vnus
filius habens duas filiationes reales, vnam
per quam refertur ad Patrem, & aliam, per
quam refertur ad Matrem. Nam non po-
test concedi, quòd Christus sit duo filij,
nisi esset duo supposita, & quia Christus
non est nisi vnum suppositum, non possu-
mus de eo concedere, quòd sit nisi vnus
filius. Non enim est simile de filiatione,
& filio, nāq; filiatio, vt est relatio realis,
& quælibet alia relatio realis, non habet,
quòd sit res aliqua in rerum natura, ex
eo quod est relatio, sed habet hoc ex
suo

D. Tho. 3. p. 4. 35 a 5.

Christus est vnus filius ratione vnus suppositus, & habet duas filiationes propter duas naturas.

Scriptorum comunium insufficiensia.

Quatuor sunt in Christo: quæ in pura creatura esse non possunt.

fuo fundamento. Nam vt etiam communia scripta concedunt, relatio ex suo fundamento habet vt sit aliquid in rerum natura, & ex suo fundamento habet multitudinem, siue pluralitatem, & vnitatem; non est ergo simile de filiatione, & filio, quia non possunt esse plures filij, nisi sint ibi plura supposita, sed possunt esse plures relationes reales, si sint ibi plura realia fundamenta. Et quia realis filiatione Christi ad Patrem fundatur supra naturam diuinam, quam æternaliter accepit Filius nascendo à Patre. Filiatione autem temporalis, etiam realis, fundatur super natura humana, quam accepit Filius temporaliter nascendo ex Matre. Ideo propter duo realia fundamenta, vel propter duas naturas reales in Christo existentes, scilicet diuinam, & humanam, sunt in Christo duæ filiationes reales, vna per quam est Deus, & Filius Dei, & accipit diuinam naturam à Deo, & alia, per quam est homo, & est filius hominis, & accipit naturam humanam ex homine, siue ex Virgine. In hoc ergo Authores scriptorum comunium minus sufficienter dixerunt, quia crediderunt idem esse iudicium de filiatione, & filio, sed hoc falsum est, vt est per habita manifestum. Nam licet Christus non possit dici duo filij, quia non sunt in eo duo supposita, tamen sunt in eo duæ filiationes reales, & naturales propter duas naturas in eo existentes, quarum vnã accepit nascendo à Patre, scilicet diuinam, & alteram accepit nascendo ex Matre, scilicet humanam.

Aduertendum autem, quod sunt quatuor in Christo, siue in supposito Verbi, quod est quid increatum, quæ non possunt esse in aliqua pura creatura, nec in aliquo supposito creato. Primum, quia illud suppositum supplet vicem alterius suppositi, videlicet illius suppositi, quod constituisset natura humana, si non fuisset assumpta ab ipso: quod simpliciter loquendo, non potest competere alicui supposito creato. Secundum est, quia in illo supposito sunt duæ naturæ substantiales, ex quibus non constituitur aliqua vna tertia natura. Tertiũ est, quod cum Christus non sit nisi vnus natus, quia non est in eo nisi vnum suppositum, tamen sunt

Aegid. super iij. Sent.

A in eo duæ natiuitates reales. Et hoc est, quia illud suppositum habet in se duas naturas, iuxta illas duas natiuitates. Quartum autem est simile isti tertio, quod cum Christus non sit nisi vnus filius, quia non est nisi vnum suppositum, habet tamen in se duas reales filiationes, iuxta duas naturas reales, quæ sunt fundamenta præfatarum duarum realium filiationum.

Dub. I. Litteralis.

B



UPER litteram, primò quæritur super illo verbo: *Inquiri oportet de natura diuina. Vtrum sit de Virgine nata, sicut de Virgine incarnata.* Sed contra.

Natura diuina non dicitur esse incarnata, quia, cum sit communis tribus personis, omnes tres personæ assumpsissent carnem, & essent incarnatæ, quod falsum est.

C

DICENDVM, quod incarnatio primò terminata est ad personam Filij. Er quia idem est in diuinis persona, & natura, quia incarnatio terminata est ad personam, consequens est, quod sit etiam terminata ad naturam. Vel possumus dicere non sine causa dictum esse, quod diuina natura est incarnata, quia incarnatio terminata est ad diuinam naturam, non quocunque modo sumptam, sed vt habet specialem modum essendi in Filio, vt ex hoc non possit argui, nisi quod sit incarnatus solus Filius.

Incarnatio est primò terminata ad personam.

Incarnatio potest dici terminata ad naturam diuinam, non abso lutè: sed vt habet specialem modum essendi in Filio.

D

Dub. II. Litteralis.



LTERIVS fortè dubitaret aliquis de eo, quod in littera dicitur: *Videtur posse probari de diuina natura, quod sit nata de Virgine:* quia si hoc est nasci

de Virgine, quod hominem assumere in vtero Virginis, cum natura diuina superior dicta sit, hominem assumpsisse in vtero

ro Virginis: ergo potest dici nata de Virgine.

Natura quæ
doque sumi-
tur pro per-
sona.

DICENDVM, quòd ibi natura diuina stat pro persona. Natura enim diuina assumpsit hominem in utero Virginis, quia persona diuina assumpsit hominem sic in utero Virginis. Vel possumus dicere, quòd natura diuina assumpsit hominem, non quocunque modo sumpta, sed vt habet specialem modum existendi in persona Filij, vt ex hoc non possumus arguere, nisi quòd solus Filius assumpsit hominem, & est factus homo. Filius etiam hoc modo assumpsit hominem, quia assumpsit humanam naturam, vt ibi homo non stet pro supposito, sed pro natura humana.

DISTINCTIO IX.



DIAETHEREA inuestigari oportet, &c. Quia Magister in præcedenti octaua distinct. quæsiuit, & inquirendo inuestigauit, quid consequuta sit natura diuina, ex eo quod in Christo coniuncta est naturæ humanæ. Vtrum ex hoc possit concedi, quòd natura diuina sit de Virgine nata: In hac nona distinctione quærit, & quærendo inuestigat, quid consequuta fuerit humana natura, ex eo quod est coniuncta diuinæ: Vtrum ex hoc debeat humana naturæ adoratio latriæ, vel adoratio duliæ, siue hyperduliæ. Circa quod duo facit, quia primò hanc quæstionem quærit: Vtrum caro Christi sit adoranda eadem adoratione, qua adoratur Verbum, videlicet adoratione latriæ. Secundò circa quæstionem quæsitam determinat veritatem. ibi: *Alijs autem placet, &c.* Circa primum tria facit, quia primò mouet quæstionem præfatam. Secundò arguit ad partem contrariam, videlicet, quòd non eadè adoratione, qua adoratur Verbum, cuiusmodi est adoratio latriæ, adoranda est caro Christi, vel anima Christi; sed quod caro Christi, vel anima Christi ado-

landa est adoratione duliæ, vel hyperduliæ, quia adoratio latriæ non competit, nisi soli Deo. Tertio ponit opinionem quorundam huic priori adhaerentium, videlicet, quòd caro Christi, vel anima Christi, vel humanitas Christi non sit adoranda adoratione latriæ, sed duliæ, cuius duæ sunt species, videlicet, dulia, & hyperdulia. Humanitati ergo Christi, dicit præfata opinio, debetur adoratio duliæ, non quæcunque: sed illa adoratio, quæ debetur creaturæ in summo, & quæ dicitur hyperdulia. Secunda ibi: *Si enim anima, vel carni Christi, &c.* Tertia ibi: *Ideo quibusdam videtur, &c.* Tunc sequitur illa pars. *Alijs autem placet, &c.* In qua circa quæstionem quæsitam determinat veritatem. Circa istud tria facit, quia primò ait, quòd humanitas Christi, non vt est aliquid in se, nec considerata vt nuda, sed vt est vnita cum Verbo, adoranda est eadem adoratione, qua adoratur Verbum. Secundò soluit obiectionem factam, dicens, quòd qui hoc facit, non potest iudicari reus idololatriæ, quia non soli creaturæ, nec propter ipsam creaturam, sed Creatori cum humanitate, & in humanitate seruit, scilicet seruitute latriæ. Tertio ad confirmandum quæ dixit, adducit auctoritates Doctorum, & Sanctorum. Secunda ibi: *Nec qui hoc facit &c.* Tertia ibi: *De hoc Ioannes &c.* Pars autem hæc, in qua confirmantur, quæ dixerat per auctoritates Doctorum, & Sanctorum; diuiditur in tres partes: Quia primò confirmat hoc per auctoritatem Damasceni. Secundò per auctoritatem Augustini, sumptam de sermone Domini, *Non turbetur cor vestrum, &c.* Tertio confirmat hoc idem per auctoritatem eiusdem Augustini, sumptam de expositione eius super nonagesimum octauum Psalmum. Secunda ibi, *De hoc Augustinus.* Tertia ibi: *Idem super Psalmum*
98. Et in hoc terminatur sententia huius distinctionis.



*Distributio Quaestionum principalium,
quæ explicantur in tota hac nona
distinctione.*

A

ARTICVLVS I.

Vtrum latria sit virtus.



VIA Magister in littera de duabus virtutibus facit mentionem, videlicet de latria, & dulia, ideo de his duabus quæremus.

Circa primam autem quærentur tria. Primum quid sit latria. Secundò cui debetur, & habito quòd soli Deo: Quæremus tertio, quare, & qualiter debetur Deo. Circa Duliam verò erit quarta, & vltima Quæstio principalis,

QVAESTIO PRIMA
PRINCIPALIS.




IRCA primam autem quæstionem, & primam partem principalem huius distinctionis, erunt quatuor Articuli.

Primus. Vtrum latria sit virtus.

Secundus. Vtrum latria sit virtus generalis.

Tertius. Vtrum latria sit virtus Theologica.

Quartus. Ad quam virtutem cardinalem latria reducatur.



Aegid super iij. Sent.

D.Tho. 2. 2. q. 81. art. 2. Caiet. ibidem. Suarez de Relig. tom. 1. tract. 1. lib. 3. cap. 8. D. Bon. in 3. d. 9. art. 2. q. 1.



D primum sic proceditur. Videtur, quòd latria non sit virtus. Omnis enim virtus moralis in libera voluntate consistit: sed seruitus oponitur libertati: cum ergo latria sit quædam seruitus (vt etiam in littera dicitur) videtur, quòd non sit virtus.

Præterea. Omnis virtus moralis principaliter consistit in actu voluntatis interiori: sed latria consistit in actu exteriori, videlicet in exhibitione sacrificiorum, videtur ergo, quòd latria non sit virtus.

Præterea. Pertinet ad latriam exhibere reuerentiam Deo: sed exhibere reuerentiam Deo pertinet ad donum timoris: cum ergo dona à virtutibus sint distincta, latria erit donum, & non virtus.

Præterea. Latria alio nomine dicitur pietas, vt habetur in littera: cum autem pietas computetur inter dona, iuxta illud Isai. 11. *Requiescet super eum spiritus sapientie, & intellectus, spiritus scientie, & pietatis: & dona distincta sunt à virtutibus, latria erit donum, & non virtus.*

IN CONTRARIUM est, quia (vt potest haberi per Philosophum) habere actus laudabiles, est proprium virtuti: sed latria habet actum maximè laudabilem, quia est maxime laudabile seruire Deo, cum *seruire Deo sit regnare*, namq; hoc modo *Deus est Rex Regum, & Dominus Dominantium*. quia omnes seruiantes ei debent dici reges, & dominantes: ergo latria maximè est virtus, quia habet actum maximè laudabilem.

Præterea. Omnis actus cadens sub præcepto legis est actus virtutis, quia, vt habetur in 2. Politic. Intentio legislatoris debet

Arist. 2. Ethic. c. 3.

Apoec. c. 19.

Arist. 2. Politic. c. 4.

debet esse inducere homines ad virtutes : cum ergo latria cadat sub præcepto legis : quia primum mandatum legis est , quod latria non exhibeatur Idolis , sed Deo ; ergo &c.

RESOLVTIO.

Latriam esse virtutem tripliciter ostenditur . Primò ex actibus , lege , & fine . Secundò ex ijs , in quibus reperitur , vt ex sacrificijs , non secundum seipsis , neque vt offeruntur , sed vt sunt quidam habitus , quo sacrificia offeruntur . Tertio ex nominibus , quibus nominatur , videlicet Latria , Theosebia , Pietas , & Religio .

Triplici via procedit ad resolutionem articuli.

Virtus dicitur tripliciter scilicet ex actibus , ex lege , & ex fine .

Virtutis definitio secundum Aristoteli .

Laudabile est reddere unicuique quod suum est .

RESPONDEO . cum queritur , utrum latria sit virtus , dici debet , quod triplici via inuestigare possumus latriam esse virtutem , vt prima via sumatur ex ijs , ex quibus colligitur aliquid esse virtus : Secunda ex ijs , in quibus habet esse latria . Tertia ex nominibus , secundum quæ talis seruitus habet nominari .

Prima via sic patet : nam tripliciter potest colligi aliquid esse virtus , videlicet ex actibus , vt si habet laudabiles actus , nam sicut ex actibus vitiosis vituperamur , sic ex actibus virtuosis laudamur ; secundò hoc potest colligi ex lege , nam quicquid præcipitur in lege , totum pertinet ad virtutem , cum intentio legislatoris , vt arguendo dictum est , sit inducere homines ad virtutes . Tertio hoc potest colligi ex parte finis , vel etiam ex parte subiecti . Nam Philosophus 3. Ethic. definit virtutem , dicens , *Virtus est , quæ habentem perficit , quantum ad subiectum , & opus suum bonum reddit* , quantum ad finem . Virtus ergo habentem perficit , quia subiectum habens virtutem , perficitur per virtutem , & subiectum , sic perfectum per virtutem , opus suum bonum reddit , & bonum facit , quia per huiusmodi opus tendit in finem consonum virtuti .

Omnibus autem his tribus vijs , vel tribus modis patet , latriam esse virtutem . Nam latria habet actus laudabiles . Si enim laudabile est reddere unicuique quod

A suum est , maximè erit laudabile reddere Deo , quod suum est , & colere Deum modo , quo debet coli : vel saltem eo modo , quo possumus colere , & quia hoc latria facit , erit ergo latria virtus , cum habeat actus laudabiles , & etiam maximè laudabiles ; non est autem inconueniens , quod hoc superlatiuum , *maximè* , dicatur de multis , diuersis respectibus : De quolibet enim Confessore Sancto dicimus ; *Non est inuentus similis illi* , non quod quilibet Confessor Sanctus in omnibus sit super alios , sed quia habuit aliquam prærogatiuam super alios , sic & plures virtutes aliquam prærogatiuam habere possunt super alias , vt hoc modo dicatur latria maximè esse virtus : Nam si laudabile est , unicuique reddere quod sibi debetur , reddere hoc Deo , quod sibi debetur , quod facit latria eo modo , quo est possibile , est maximè laudabile . Nam si simpliciter ad simpliciter , magis ad magis , maximè ad maximè : quia si simpliciter concedimus , & concludimus , quod habitus habens actus laudabiles est virtus : ergo habitus habens actus magis laudabiles , magis debet dici virtus , & habens maximè laudabiles , maximè debet dici virtus . Hoc autem facit latria modo , quo diximus : ergo non solum est virtus , sed quantum ad aliquem modum , attingit aliquo pacto , quod est maximum in virtutibus .

Secundò , vt etiam in arguendo tangebatur , possumus probare latriam esse virtutem , vt comparatur ad legem ; Nam cum intentio legislatoris secundum Philosophum , sit inducere homines ad virtutem , quicquid præcipitur in lege , potest concludi pertinere ad virtutem . Et quia non solum in lege , sed etiam in primo mandato prohibetur idololatria , id est , prohibetur , ne latria , quæ debetur soli Deo , detur idolis , latria potissimè erit virtus , non enim tantum prohibetur latria idolis , sed insuper præcipitur dari Deo , quod habetur per primum mandatum legis : *Non adorabis Deum alienum* : id est , Adorabis Dominum Deum tuum , & exhibebis latriam Domino Deo tuo , iuxta illud : *Dominum Deum tuum adorabis , & illi soli seruias* .

Tertio , possumus probare latriam esse virtutem tam ex parte subiecti , quam ex parte

Maximè , superlatiuum dicitur de multis , secundum diuersos respectus .

Quomodo intelligatur illa verba , quæ de quolibet Sancto Confessore dicuntur : Non est inuentus , &c.

Sicut se habet simpliciter ad simpliciter magis ad magis , & maximè ad maximè .

Arist. 2. Politic. c. 4.

Latria esse virtutem respectu legis ex triplici capite ostenditur . Primò , quia in primo capite præceptorum legis de ea habetur sermo . Secundò , quia prohibetur , eam dari alijs à Deo . Tertio , quia præcipitur soli Deo exhiberi . Matth. c. 4.

parte finis : Nam si sic definitur virtus ; quod habentem perficit (quantum ad subiectum) & opus suum bonum reddit (quantum ad finem) sed in qualibet virtute finaliter quaeritur Deus specialiter , cum ipsius patriæ finis sit Deus , quia idem est patria , vt habetur in littera , quod Theosebia , idest Dei cultus , vel Eusebia , idest , cultus bonus , quia potissimè bonitas refulget in Deo ; vt ex hoc Dei cultus potissimè dicatur bonus cultus . Si ergo patria potissimè est virtus , quia potissimè in ea finaliter intenditur Deus , consequens est , quod potissimè sit perfectus habitus , & sit virtus , quia ex perfectione actus , vel operis , potissimè concluditur perfectio habitus , vel virtutis .

Ostenso quomodo patria est virtus ex omnibus his , ex quibus colligitur aliquid esse virtus , volumus ostendere patriam esse virtutem ex ijs , in quibus habet esse patria ; habet enim esse patria in sacrificijs , vel in exhibitione sacrificij , vt potest haberi ex littera . Tria ergo sunt consideranda in patria , videlicet , ipsa sacrificia , oblatio sacrificiorum , & habitus , quo talia sacrificia offeruntur . Si consideremus ipsa sacrificia , hoc non potest esse virtus , sed ipsa materia , circa quam versatur virtus , quæ dicitur patria . Si consideremus ipsam exhibitionem sacrificiorum , hoc non potest esse virtus , vt etiam communiter dicitur , sed est actio virtutis patriæ : Sed si consideremus habitum , quo offeruntur sacrificia Deo , talis habitus est virtus , quæ dicitur patria . Nam generaliter loquendo , secundum Philosophum , Virtus est habitus electiuus in medietate consistens , prout recta ratio iudicabit . Si ergo iustus , generaliter loquendo , est talis habitus : ergo hæc specialis virtus erit hoc speciali modo talis habitus , vt fortitudo est talis habitus , circa res bellicas , magnanimitas , circa honores , patria circa oblationem sacrificiorum . Est ergo patria virtus , quia est quidam habitus eligens offerre sacrificia Deo .

Tertio modo , vel tertia via possumus ostendere patriam esse virtutem , si consideremus nomina , quibus nominatur . Nominatur enim in littera tribus nominibus , quia dicitur Patria , Theosebia , &

A Pietas . Adducunt autem Scripta communia quartum nomen , quod dicitur Religio . Ex quolibet autem istorum nominum , quia nomina debent esse consona rebus , possumus probare patriam esse virtutem . Nam dicitur patria Pietas quantum ad deuotionem , & affectionem . Est enim differentia inter pietatem , vt est donum , & vt est virtus . nam inter dona Spiritus Sancti computatur pietas , iuxta illud Isaia 11 . *Et requiescet super eum Spiritus sapientiae , & pietatis :* ergo pietas ibi computatur inter dona ; hic autem

B computatur inter virtutes , cum patria , quæ est virtus , dicatur pietas . Differentiam tamen est hoc , & illud , quia pietas , vt est virtus , & est idem quod patria , est quedam specialis deuotio , & specialis affectio ad ipsum Deum , & est hæc affectio , & deuotio , vt imperata à ratione , quia ratio hoc dicat , vt speciali quadam affectione , & speciali quadam deuotione moueamur ad colendum Deum , ei debita sacrificia offerendo . Talis ergo specialis deuotio , vel affectio ad Deum à ratione imperata , & per debita sacrificia exhibitam , dicitur pietas , quæ est virtus , & quæ est idem quod patria . Sed pietas , vt est donum Spiritus Sancti , consistit in quadam generali beneuolentia hominum , non est à ratione imperata , sed vt voluntas nostra , in qua est tale donum , est specialiter mota à Spiritu Sancto . Duos ergo motores possunt habere vires nostræ , vel ipsam rationem , vel ipsum Spiritum Sanctum : vt vires nostræ habent motorem ipsam rationem , sic accipiuntur habitus , qui sunt virtutes ; Ideo in definitione virtutis dicitur , quod virtus est habitus electiuus , vt recta ratio iudicabit . Sed si vires nostræ , siue sint appetitiuæ , siue apprehensiuæ , non mouentur , nisi prout specialiter mouentur à Spiritu Sancto , qui donum appellatur . & ideo Isa . 11 . vbi

D enumerantur huiusmodi septem dona , vocantur sub nomine Spiritus Sancti , non quod alius , & alius spiritus hoc agat , sed quod hæc omnia operatur vnus , & idem Spiritus , videlicet Spiritus Sanctus , mouens vices nostras ad hæc septem dona , quæ requieuerunt in Christo , & requiescant in nobis , in quantum imitamur Christum , sic accipiuntur vt dona . Pietas

In qualibet virtute finaliter quaeritur Deus specialiter .

Latriæ etymon .

Ex perfectione actus dignoscitur perfectio habitus .

In quibus actibus reperitur latria .

In sacrificiorum oblatione latria discernitur

Sacrificia sunt materia , circa quam virtus patriæ versatur . Exhibitio sacrificiorum dicitur actio virtutis patriæ . Hanc quoque oblationem dicitur virtus .

Aristot. 6. Ethic. c. 13.

Fortitudo , & Magnanimitas quid ?

Latriæ definitio .

Latria . Theosebia . Pietas . Religio .

Discrimen inter Pietatem , vt est donum , & vt est virtus .

Isa . c . 11 .

Definitio virtutis pietatis .

Donum pietatis in quo consistat .

Vires nostræ a duplici motore moueri possunt , scilicet à Spiritu S. & à ratione .

Isa . c . 11 .

tas ergo vt est idem quod latria, non accipitur vt donum, & vt vires nostræ mouentur solum à Spiritu Sancto, sed accipitur vt virtus, & vt vires nostræ mouentur à ratione, quia nihil est aliud virtus, nisi quædã medietas, vt recta ratio iudicauerit, & nihil est aliud donum, nisi quidam habitus perficiens vires animæ, vt sint aptæ natæ moueri à Spiritu Sancto.

Redeamus ergo ad propositum, & dicamus, quòd iste diuinus cultus nominatur quatuor nominibus, & dicitur pietas quantum ad affectionem, & deuotionem, quam debemus habere ad colendum Deum. Dicitur Theosebia, vel Eusebia, idest diuinus, & bonus cultus, quantum ad intentionem, quam debemus habere ad Deum. Nam illud propriè colimus, circa quod versatur intentio nostra: vt ille propriè colit aurum, cuius intentio versatur circa Deum. Tertiò talis cultus dicitur latria, quasi seruitus, quantum ad opera, & quantum ad sacrificia, quæ offerimus Deo in recognitionem propriæ seruitutis. Quartò talis cultus dicitur Religio, quod nomen quartum secundum scripta communia, sumptum est ex determinatione operum; sed magis hoc nomen credimus esse sumptum, prout ex voto fiunt aliqua ad colendum Deum; & ideo Religiosi dicuntur quasi religati, idest quantum ad omnia sua obligati ad colendum, & seruiendum Deo per votum, ad quod se obligauerunt: non potest autem aliquis habere nisi tria, animam, corpus, & res exteriores; omnia autem hæc exhibent Deo per votum, ad quod se obligauerunt: obtulerunt enim Deo animam, idest, voluntatem, prout vouerunt viuere in obedientia, & non facere voluntatem suam: obtulerunt Deo corpus, prout vouerunt viuere in castitate, & non dare alteri corpus suum: obtulerunt Deo res exteriores, prout vouerunt viuere sine proprio, & res exteriores proprias non habere. Religio ergo dicta est cultus diuinus, non propriè quantum ad determinationem operum, sed quantum ad ea, quæ fiunt ex voto, quia Religiosi specialiter dicuntur religati, & per votum ad diuinum cultum obligati. Et inde est, quòd ea, quæ fiunt ex voto, specialiter dicuntur actus latriæ,

Doni definitio.

Cur latriæ cultus dicitur pietas.

Theosebia, vel Eusebia quid.

Latria.

Religionis nomen unde sumptum. D. Tho. 2. 2. q. 81.

Religiosi unde dicti.

Tria vota Religiosorum, quibus Deo offerunt animam, corpus, & res exteriores.

Quæ sicut ex voto ad latriam pertinent.

quia nihil est aliud latria, nisi seruitus debita Deo, & nihil aliud est votum, nisi obligatio ad dandum; nam etsi vouere est voluntatis, reddere tamen Deo, quod vouimus, est necessitatis, iuxta illud: *Vouete, & reddite*. Per omnia ergo hæc quatuor nomina potest concludi, quòd latria sit virtus. Nam vt dicitur, pietas, quæ est deuotio, & affectio ad Deum, cum hoc sit laudabile, latria erit virtus: Sic etiam vt latria dicitur Theosebia, idest, cultus diuinus, quia tota intentione tendit in Deum, hoc enim est colere aliquid, tota intentione ferri in illud, cum hoc sit laudabile, latria erit virtus. Tertiò autem talis cultus diuinus dicitur latria, idest, diuina seruitus, cum hoc sit laudabile, Deo seruire, latria erit virtus. Quartò, vt latria dicitur Religio, quod nomen potissimè sumitur, prout per votum nos obligamus nosmetipsos ad seruiendum Deo, cum etiam hoc sit laudabile, latria erit virtus.

Voti definitio.

Psal. 78.

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum dicendum, quod *seruus est*, vt patet per Philosophum 1. Politic. *qui est gratia alterius*, sicut *Liber est, qui est sui ipsius gratia*; sed esse propter alterum cuiusmodi est seruus, potest esse dupliciter, vel propter alterum finaliter, sicut seruus, qui non lucratur sibi, sed Domino suo; vel propter alterum effectiue, sicut instrumentum aliquod, etiam insensibile, effectiue est propter alterum, quia non proprio motu agit, sed solum vt mouetur à principali agente. Quantum ergo ad hunc secundum modum, videlicet, quòd ad moueri ab alio effectiue, tollitur omninò libertas arbitrij, cum non possit ibi esse opus virtutis, sed quantum ad primum modum, quòd homo operetur propter alterum finaliter, potest esse ibi opus virtutis, quia propter hoc non tollitur libertas arbitrij. Nam potest seruus lucrari propter dominum finaliter; & tamen hoc facere voluntariè, & electiue, & ex virtute, sic & in proposito; licet latria sit seruitus Deo debita, & licet offerre sacrificia, quæ offert virtus, quæ est latria, sit quid Deo debitum, tamen quia hoc faciens

Seruus, & liber quis dicatur, Arist. 1. Polit. c. 3.

Seruitus potest dici propter alterum dupliciter, vel finaliter, vel effectiue. primo modo non tollitur libertas à seruitute: sed bene secundo modo.

faciens facit voluntariè , & ex electione , A
ideo est opus virtutis .

Latria ha-
bet vt fit
virtus ab a-
ctu interio-
ri; sed vt fit
determina-
ta, & cõple-
ta habet ab
opere exte-
riori .

Ad secundum dicendum, quòd licet
virtus habeat quòd fit virtus ex actu inter-
riori, & ex electione, quia omnis virtus
est habitus electiuus, tamen potest iste
actus interior ex exteriori opere determi-
nari ad virtutem, sicut apparuit in forti-
tudine, quæ consistit circa opera bellica,
quæ sunt opera exteriora, sine quibus
actus ille interior electiuus, cum res po-
stulat, sine eis, idest, sine talibus opera-
tionibus bellicis non determinatè com-
pletur, quod exigit virtus, quæ est fortitudo : sic etiam iustitia, quæ est, reddere
vnicuique quod suum est, non perficitur
sine exteriori opere .

Reuerentia
quæ exhibe-
tur Deo po-
test esse vir-
tus, & donum:
si vires nos-
træ mouen-
tur à ratio-
ne ad reue-
rentiã Deo
exhibendã,
sic dicitur
virtus: si au-
tem mouen-
tur à Spiri-
tu Sancto,
sic est donum

Ad tertium dicendum, quòd, vt supra
patuit, dona à virtutibus distinguuntur .
Possumus autem, quantum ad præsens
spectat, duplicem differentiam assignare
inter dona, & virtutes, quia virtutes sunt
quidam motus facti à ratione . Nam hoc
est virtus, habitus electiuus in medietate
consistens, vt recta ratio iudicabit : Sed
dona sunt quidam motus facti à Spiritu
Sancto : Et, vt supra diximus, dona no-
minantur per Spiritum, non quòd donum
sit Spiritus Sanctus, vt hic de dono loqui-
mur, sed semper donum est quidam mo-
tus factus in viribus nostris à Spiritu San-
cto . Ex hac autem prima differentia se-
quitur secunda, quòd dona sunt perfe-
ctiora virtutibus; quod etiam dupliciter
esse contingit; primò, quia dona sunt perfe-
ctiora virtutibus secundum se, quia
perfectius est moueri à Spiritu Sancto,
quod fit per dona, quàm moueri à ratio-
ne, quod fit per virtutes . Secundò est ibi
maior perfectio, quantum ad subiectum, D
suscipiens talem motionem, quia oportet
ipsum subiectum esse perfectius, quod sus-
cipit motionem factam à Spiritu Sancto .
Exhibere ergo reuerentiam Deo potest
pertinere ad virtutem, & ad donum, ali-
ter tamen, & aliter : Nam pertinebit hoc
ad virtutem, prout hoc dicitur ratio, &
prout ad hoc mouet ratio, quod exhibea-
tur reuerentia Deo : sed erit hoc donum,
& connumerabitur inter dona Spiritus
Sancti, prout quoddam altiori modo mo-
uemur ad hoc faciendum à Spiritu . Re-
uerentia ergo, de qua loquuti sumus, po-

test esse virtus, & donum, aliter tamen,
& aliter, vt est per habita manifestum : vt
ergo est virtus, erit virtus, quæ est latria,
vt autem est donum, est donum Spiritus
Sancti .

Ad quartum dicendum, quòd sicut re-
uerentia exhibita Deo, vt est imperata à
ratione, computatur inter virtutes, &
pertinet ad latriam, & vt est motio facta
à Spiritu Sancto computatur inter dona,
& pertinet ad donum timoris, sic & Pie-
tas, vt consistit in quadam deuotione ad
Deum, & vt est imperata à ratione, perti-
net ad virtutem, quæ est latria; sed vt
pietas dicit quoddam beneuolentiam ge-
neralem ad omnes homines, factam a Spi-
ritu Sancto, & ex hoc factam altiori mo-
do, quàm vt est imperata à ratione, perti-
net ad donum Spiritus Sancti, quod dicitur
pietas : semper enim debemus saluare
quòd dona sunt altiora virtutibus, sicut
motus factus à Spiritu Sancto in viribus
nostris est quid altius, quàm motus in ta-
libus viribus factus à ratione .

Pietas du-
pliciter cõ-
siderari po-
test, vel vt
est deuotio
erga Deum,
imperata à
ratione, &
sic est vir-
tus, vel vt
quoddam be-
nevolentia
generalis
ad omnes
homines
causata à
Spiritu San-
cto, & sic est
donum.

ARTIC. II.

*Vtrum latria sit virtus generalis
Conclusio est negatiua .*

D. Thom. 2. 2. q. 81. art. 3. Caiet. ibidem. Suarez vbi sup.
c. 2. 4. & 8. D. Bon. in 3. d. 9. art. 2. q. 2.



SECUNDO, dato, quòd
latria sit virtus, quæritur
Vtrum sit virtus genera-
lis, vel specialis, et vide-
tur, quòd sit generalis,
quia August. 10. de Ciuit.
Dei cap. vlt. loquens de Religione : cum
Religio sit quoddam nomen latriæ, ait, Ita
est vniuersalis via liberanda anima, quæ
non est alia, quàm Religio Christiana . Re-
ligio ergo, quæ est quoddam nomen la-
triæ, est vniuersalis via liberandæ animæ :
ergo non est virtus specialis, sed vniuersa-
lis, vel generalis .

D. P. Aug. 10.
de ciuit.
c. vlt.

Præterea. Omne opus virtutis est quod-
dam nostrum sacrificium : sed sacrificium
offerre Deo propriè pertinet ad latriam :
ergo ad ipsam pertinet omne opus virtu-
tis,

ris, & per consequens non est virtus specialis, sed generalis.

Præterea. Per omne opus virtutis seruitur Deo, iuxta illud Lucæ 17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicitis, serui inutiles sumus: ergo omne opus virtutis pertinet ad latrîam, quæ est seruitus Deo debita.*

Præterea. Quicumque facit aliquid ad gloriam alicuius, exhibet ei reuerentiã; sed Apost. 1. Corinth. 10. docet, omnia in istis propter gloriam Dei fieri debere: ergo omnia rectè facta, vel omnia opera virtutum ad latrîam spectant, per quam exhibetur reuerentia Deo: ergo &c.

IN CONTRARIUM est, quia virtus generalis non præcipitur aliquo speciali præcepto legis, sed per totam legem; cum ergo latrîa præcipiatur speciali præcepto legis, quia præcipitur per primum præceptum legis, vbi mandatur latrîam non esse Idolis exhibendam, sed Deo: ergo &c.

Præterea. Illa est specialis virtus, quæ opponitur speciali vitio, propter quod Philosophus in 5. Ethic. probat iustitiam esse specialem virtutem, per hoc, quod opponitur auaritiæ, quæ est speciale vitium: ergo latrîa est specialis virtus, quia opponitur idololatrîæ, quæ est speciale vitium.

RESOLVTIO.

Latrîa est virtus singularis, quia soli Deo debetur: est specialis formaliter, quia in aliqua ratione speciali, nimirum in oblatione sacrificij facta Deo ob recognitionem propria seruitutis, formaliter consistit. Potest nihilominus dici virtus generalis materialiter, ratione actuum, connexionis, concursus, imperij, & electionis.

RESPONDEO, quòd latrîa potest dici virtus, non solum specialis, sed etiam singularis. Nam latrîa est quædam virtus soli Deo debita, sed quodam singulari modo propter sui singularem excellentiam latrîa exhibet reuerentiã Deo, offerendo sacrificia. Est ergo latrîa virtus specialis, & etiam singularis, cum soli Deo debeatur, sed hoc non est incon-

Latrîa soli Deo debetur.

A ueniens, quòd aliqua sit specialis virtus propter specialem rationem, & propter specialem modum, secundum quem determinatur ad aliquam materiam, & tamen potest habere non solum aliquem modum, sed etiam plures modos generalitatis. Describunt autem scripta communia quatuor modos generalitatis, quorum primum vocant generalitatem per prædicationem, & hoc modo dicunt, quòd iustitia legalis est generalis, quia prædicatur de omni virtute: dicunt tamen hoc secundum specialem rationem. Sed hoc

B videtur dicere oppositum in obiecto, quia sicut prædicatum est generale, ita oportet, quòd ratio eius sit generalis: Nam sicut animal prædicatur generaliter de omnibus speciebus animalis, ita ratio ipsius animalis, vel definitio eius, quæ est substantia animata sensibilis, est generalis ad omnes species animalis, & competit cuilibet tali speciei, quia non est animal, secundum quamcunque speciem animalis, quod non sit substantia animata sensibilis. Falsum est etiam, quòd iustitia legalis prædicetur de omni virtute, immò

C non prædicatur de aliqua alia virtute, nisi de seipsa; Temperantia enim non est iustitia legalis, nec fortitudo, nec aliqua alia virtus specialis. Immò ipsa iustitia legalis est quædam virtus specialis, nec prædicatur de aliqua alia virtute, nisi de seipsa. Sed fortè hoc mouit Authores præfatæ opinionis, vt dicerent iustitiam

legalem esse virtutem generalem, & prædicari de omni virtute, quia videbant talem virtutem facere operationem omnium virtutum, secundum quem modum magnanimitas non est virtus specialis, sed

D generalis, & prædicatur de omni virtute. Cû verò constet id falsum esse, non est tenendum, quòd in hac parte asserit dicta opinio. Dicamus ergo, quòd magnanimitas non solum facit opus cuiuslibet virtutis, sed etiam facit opus magnum in qualibet virtute, vt patet per Philosophum 4. Ethic. cap. de Magnanimitate. Nec tamen propter hoc est virtus generalis, sed specialis, quia hoc facit sub speciali ratione. Et quia hoc facit sub speciali virtute, ideo non prædicatur de omni virtute, nec est omnis virtus.

Aduertendum ergo quod temperatus facit

Opinio D. Tho. in 4. sent. d. 9. q. 1. a. 1. vlt. 1.

Opinio præfata reficitur.

Prædicatū generale habet definitionem generalem.

Iustitia legalis non prædicatur de alia virtute, sed de seipsa.

Opinionis prædicatæ motiuum.

Magnanimitas quomodo sit virtus generalis, & prædicetur de omni virtute secundum dictam opinionem.

Magnanimitas facit opus cuiuslibet virtutis & opus magnum in qualibet virtute secundum Arist. 4. Ethic. cap. de Magnanimitate.

facit opera temperata, & fortis fortia, & sic de alijs. Omnia autem hæc potest facere magnanimitas, seu magnanimus, sed hoc erit aliter, & aliter; nam fortis faciet opera fortia, quia sibi placent talia opera, temperatus faciet opera temperata; magnanimus autem faciet hæc omnia opera, & etiam omnia opera aliarum virtutum, non quia placent ei talia opera secundum se, sed quia vult inde habere honorem. Et ideo dicitur magnanimitas operari magnum in omnibus virtutibus, quia longè excellentiori modo facit opera omnium virtutum, quàm faciant ipsæ virtutes. Nam non sufficit magnanimo facere opera temperantiæ eo modo, quo faceret temperantia, sed quia vult inde habere honorem, facit opera temperantiæ excellentiori modo, quàm faceret ipsa temperantia; sufficit enim temperantiæ facere opera talis virtutis, prout requirit talis virtus, sed magnanimus, quia vult inde habere honorem, facit opera temperantiæ, & cuiuslibet alterius virtutis, non solum, vt saluetur ibi ratio virtutis, sed vt inde consequatur honorem; & ideo facit excellentiori modo, quàm ipsæ virtutes, & hoc modo dicitur magnanimitas operari magnum in omnibus virtutibus, quia facit excellentiori modo opera omnium virtutum, vt inde consequatur honorem. Quod ergo dictum est de magnanimitate respectu omnium virtutum, veritatem habet de iustitia respectu omnium aliarum virtutum. Iustitia enim legalis facit omnia opera virtutum, quia in lege præcipiuntur omnes virtutes. Præcipitur enim, quòd quis non dimittat aciem, nec proiciat clypeum in bello, quod spectat ad fortitudinem: & quòd vnus cuius non iniurietur alteri in vxore, vel in sorore, vel in aliqua persona coniuncta, quod spectat ad temperantiam, & sic de alijs virtutibus. Iustus ergo legalis facit opera omnium virtutum, sed sub speciali ratione, quia vult implere legem, hæc præcipientem. Virtutes ergo, vt temperantia, & fortitudo, & virtutes aliæ faciunt opera sibi conuenientia, quia in talibus operibus operantur, sed iustus legalis facit omnia illa opera, non quia iustus legalis delectetur in talibus, sed quia vult implere legem, opera illa præci-

A pientem. Sicut ergo magnanimus facit omnia opera aliarum virtutum, non quia, vt magnanimus delectetur in eis, sed quia vult inde habere honorem, sic iustus legalis facit opera omnium virtutum, non quia delectetur in eis, sed quia vult legem implere. Quasi ergo est omnino simile, vt ad propositum spectat, de magnanimitate respectu omnium aliarum virtutum, & de iustitia legali respectu omnium aliarum virtutum.

B Sicut ergo falsum est dicere, quod magnanimitas sit iustitia generalis per prædicationem, & quòd prædicetur de omni virtute, sic suo modo falsum est dicere, quod iustitia legalis sit virtus generalis secundum prædicationem, & quòd prædicetur de omni virtute; immò sicut magnanimitas est virtus specialis, quia facit opera omnium virtutum sub speciali ratione; quia vult inde habere honorem; sic iustitia legalis est specialis virtus, quia licèt faciat opera omnium virtutum, facit ea tamen sub speciali ratione, videlicet, non quia delectetur in talibus operibus virtutum, sed sub hac speciali ratione, quia vult implere legem.

C Dimisso ergo hoc modo generalitatis, tanquam inconuenienti & incongruo, volumus loqui de alijs modis generalitatis, etenim non obstante, quòd latría sit virtus specialis, & etiam quòdam modo singularis, potest tamen habere quatuor modos generalitatis, qui modi generalitatis etiam possunt competere pluribus virtutibus. Erit ergo generalitas virtutum quatuor modis, vt sit primus modus generalitas actuum, secundus generalitas connexionis, tertius generalitas concursus, quartus generalitas imperij.

Primus modus generalitatis, vel prima generalitas sic patet, nam pluribus virtutibus competit generalitas actuum, cum plures virtutes agant actus, & opera omnium virtutum, vt posuimus exemplum de iustitia legali, quæ agit generaliter actus, & opera omnium virtutum, quia lex præcipit omnia opera virtutum. Iustitia ergo legalis materialiter, & quantum ad actus, & ad opera, est omnis virtus, quia agit opera omnium virtutum. Nam, vt diximus, omnia huiusmodi opera præcipit

Fortis, Temperatus, & Magnanimus, cur sic operentur.

Magnanimus excellentiori modo facit opera temperantiæ, quàm temperatus & sic de alijs operibus cæterarum virtutum.

Iustitia legalis facit opera omnium aliarum virtutum, quæ in lege præcipiuntur, sub hac speciali ratione, quia vult legem implere.

Magnanimitas, & iustitia legalis, quomodo conueniāt.

Aliquid potest dici generale quatuor modis

Primus modus generalitatis est ipsorum actuum.

Iustitia legalis materialiter est omnis virtus, non autem formaliter.

cipit lex. Tamen formaliter iustitia legalis non est omnis virtus, immò est quaedam specialis virtus, & formaliter est distincta ab omni alia virtute, quia sub alia ratione virtutis facit opera propria: & iustitia legalis facit omnia huiusmodi opera, quia virtutes faciunt illa opera, propter seipsa, & quia delectantur in talibus operibus; sed iustitia legalis facit omnia huiusmodi opera, non propter seipsa, sed sub speciali ratione, vt quia vult implere legem, & quia omnia opera virtutum præcipiuntur in lege, sicut dicebatur de magnanimitate, quæ est virtus specialis, & distincta ab alijs virtutibus, tamen quantum ad factionem operum, est virtus generalis, quia facit opera omnium virtutum, & nihilominus sub speciali ratione, quia facit ea, vt habeat inde honorem: sic etiam iustitia legalis facit opera omnium virtutum, sed ea facit sub speciali ratione, vt impleat legem præcipientem omnia huiusmodi opera: Isto etiam modo possumus dicere, quòd latría est virtus generalis, & potissimè loquendo de latría, quantum ad illa opera, quæ sunt ex voto, quæ dicuntur fieri ex latría, prout latría est quædam religio. Nam ideo dicuntur religiosi, quasi religati propter votum, quod voverunt: & quia omnia virtutum opera possunt cadere sub voto; virtus, quæ est latría, & potissimè, prout reducuntur ad latríam ea, quæ sunt ex voto, potest agere opera omnium virtutum. Concludamus ergo, & dicamus, quòd omnes virtutes possunt facere opera omnia virtutum, & iustitia legalis, & magnanimitas, & latría, prout est quædam religio, & prout ad eam reducuntur omnia illa, quæ sunt ex voto, possunt facere omnia huiusmodi opera, sed hoc erit aliter, & aliter, quia omnes virtutes agunt huiusmodi opera, secundum se, & vt talia opera sunt consona eis, & vt delectantur in ipsis; iustitia autè legalis facit omnia huiusmodi opera, non secundum se, sed sub hac speciali ratione, quia faciendo ea vult implere legem. Magnanimitas etiam facit omnia præfata opera, nec secundum se, nec vt impleat legem, sed sub hac speciali ratione, quia vult ex omnibus eis habere honorem. Latría autem, vt est religio, & vt agit ex voto,

Latría quomodo dici potest virtus generalis.

Virtutes omnes possunt facere omnia opera virtutum.

Latría est Religio, & vt agit ex voto, potest facere omnia opera aliarum virtutum.

A potest etiam facere omnia opera præhabita, non secundum se, quia hoc faciunt ipsæ virtutes, nec vt impleat legem, quia non est eadem virtus cum iustitia legali, nec vt habeat inde honorem, quia est virtus distincta à magnanimitate, sed vt impleat ea, ad quæ se obligauit ex voto. Patet ergo ex his omnibus, generalitatem operum posse competere pluribus virtutibus, non obstante, quòd illæ virtutes sint speciales, non generales, quæ prædicentur de omnibus virtutibus, sed distinctæ ab omnibus eis.

B Aduertendum tamen: quòd præter hunc modum generalitatis, quem assignauimus latría, quæ potest agere opera omnium virtutum, prout agit ex voto; quia potest ex voto quis se obligare ad omnia opera virtutum; possemus si vellemus assignare latría alium modum generalitatis dicentes, quòd latría est virtus generalis, & potest agere opera omnium virtutum, prout omnia illa opera ordinat ad proprium modum, & ad cultum diuinum, & opera omnium virtutum possunt huic cultui deseruire.

Potest aliquis ex voto se obligare ad omnia opera virtutum. Latría potest etiam dici virtus generalis, quatenus potest omnia opera aliarum virtutum ad Dei cultum ordinare.

C His itaque prælibatis, restat videre de tribus generalitatibus virtutum, videlicet, de generalitate connexionis, concursus, & imperij. Hæ autem tres generalitates, non solum pluribus, sed omnibus virtutibus competunt, vt etiam sunt speciales: primò, quia quælibet virtus, etiam specialis, est connexa omnibus virtutibus, nam in esse perfecto omnes virtutes sunt connexæ, vt non possit aliquis habere vnã virtutem perfectè, nisi habeat omnes. Secundò, quia, etiam quantum ad concursum, virtutes omnes habent quandam generalitatem; nam ad actum cuiuslibet virtutis possunt concurrere actus omnium virtutum, non quia sit necessarium, quòd ita sit, sed quia potest sic esse. Ista ergo generalitas concursuum quantum ad posse sic esse, potest competere cuiuslibet virtuti. Tertio, quia omnes virtutes tendunt ad vnum finem, id est, ad Deum; quælibet enim virtus potest imperare actum cuiuslibet alterius virtutis, vel voluntas perfecta per aliquam virtutem, ad hoc quod fiat melius actus illius virtutis, & vt melius tendat in Deum, tanquam in finem per virtutem illam, potest impe-

Generalitas Connectionis, Concursus, & Imperij.

In esse perfecto omnes virtutes sunt connexæ, ita vt nullus possit habere vnã illarum perfectè nisi habeat omnes.

Generalitas concursuum quantum ad posse potest competere cuiuslibet virtuti.

imperare actum cuiuslibet alterius virtutis: vt ponamus exemplum de latria, propter quam sunt motę omnes huiusmodi quęstiones. Ad virtutem enim, quę est latria, spectat secundum se offerre sacrificia Deo in recognitionem illius seruitutis, quę debetur soli Deo. Potest ergo hęc virtus, vel voluntas perfecta per hanc virtutem imperare actum fidei, vt cognoscat illum, cui debet talem seruitutem; potest imperare actum charitatis, vt diligat, & afficiatur ad illum, cui debet huiusmodi seruitutem. Et quod dictum est de virtutibus Theologicis veritatem habet de virtutibus Cardinalibus, & de alijs virtutibus ipsis Cardinalibus annexis, quia potest voluntas per virtutem latrię imperare actum fortitudinis, vt bellet pro eo, cui debet tale seruitium, & sic de alijs virtutibus. Recolligamus ergo quę diximus, quod cum actum sit de quatuor generalitatibus virtutum, generalitas actuum potest competere pluribus virtutibus. Alię autem tres generalitates connexionis, concursus, & imperij possunt competere, & competunt omnibus virtutibus, vt est per habita manifestum.

Voluntas perfecta per virtutę latrię potest imperare ad fidem, charitatem, & quatuorque aliarum virtutum moralium.

Quintusmodus generalitatis est generalitas electionis.

Virtus moralis quid sit.

Ad prudentiam spectat eligere medium in omnibus virtutibus.

Virtutes alie non possunt esse sine prudentia, nec prudentia sine ipsis. Arist. 6. Ethic. c. 16.

His autem quatuor generalitatibus virtutum possumus superaddere generalitatem quintam, quę proprie competit soli prudentię, & hęc est generalitas electionis. Nam ad prudentiam spectat eligere medium generaliter in omnibus virtutibus moralibus; cum omnis virtus moralis sit habitus electiuus in medietate consistens, vt recta ratio iudicabit: Cum ergo ratio sit recta potissimę per prudentiam, ad prudentiam spectabit hęc generalitas, quę est eligere medium in omnibus virtutibus. Et inde est, quod cum inuestigamus rationem, quare virtutes sunt connexę, inter alias rationes assignatur ista, quod alię virtutes non possunt esse sine prudentia, cum ad prudentiam spectet eligere medium in omnibus virtutibus, quia secundum Philosophum 6. Ethicor. *Impossibile est, prudentem esse non entem bonum.* Cum ergo homo sit bonus per virtutes morales, quę habentem perficiunt, & opus suum bonum reddunt, Aegid. super iij. Sent.

A oportet virtutes esse connexas, quia prudentia non potest esse sine alijs virtutibus, nec alię virtutes sine ipsa. Per hęc autem omnia potest patere solutio quęstionis propositę de latria. Nam, cum quęritur, posito, quod latria sit virtus, vtrum sit virtus specialis, patet, quod latria est virtus specialis, & quodammodo singularis, licet plures generalitates habere possit, sicut & alię virtutes sunt speciales, licet plures generalitates habere possint, & habeant.

Quomodo latria dicatur virtus specialis, singularis, & vniuersalis.

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum dicendum, quod per religionem Christianam obligamur ex voto ad omnia opera, per quę possumus salui fieri, vel sine quibus non contingit nos saluos esse. Nam statim cum baptizatus aliquis renunciat Satanę, & omnibus pompis eius, quod non potest impleri sine operibus omnium virtutum, cum occurrit necessitas operandi huiusmodi opera virtutum. Immo quia semper in Baptismo, nisi prębeamus obicem, infunditur nobis gratia, per quam infunduntur omnes virtutes. Cum ergo Deus infundat in nos omnes virtutes, quando occurrit oportunitas, vel necessitas operandi talia opera, sumus obligati ad operandum ea. Sicut si Rex daret equum militi, obligaretur miles ad equitandum equum illum pro Rege, quotiescunque necessitas, vel oportunitas postularet. Ideo cautę loquitur Augustinus in authoritate profata, quod Religio Christiana est vniuersalis via ad saluandam animam, quia in Baptismo, per quem efficimur Christiani, obligamus nos ipsos ad renunciandum operibus malis, & diabolicis, & ad faciendum bona opera Christi: sed non obstante, quod latria est virtus specialis, prout ea, quę fiunt per votum reducuntur ad latriam, siue hoc votum sit religionis Christianę, vt in Baptismo, siue aliter, potest habere, vel habet quandam generalitatem, qua non obstante, ipsa est virtus

In Baptismo semper infunditur gratia in baptizatum, si non ponat obicem.

Latria potest dici virtus specialis, & generalis secundum diuersas rationes.

virtus specialis, potest etiam sine voto A
competere virtuti latriæ alia generalitas,
modo quo dictum est.

Sacrificium dupliciter sumitur, propriè, vel cõmunitèr, seu largè, & metaphoricè. Hoc secundo modo omne opus bonũ dicitur sacrificiũ: non primo modo.


Ad secundum dicendum, quod offerre sacrificia pertinet ad latriam; sed cum dicitur: omne opus bonum est quoddam sacrificium, ibi sacrificium non accipitur propriè, sed largè, & metaphoricè, vt dicatur omne opus bonum quoddam sacrificium, prout per quodlibet opus bonum reconciliamur Deo, cui est sacrificium offerendum.

Seruire Deo cõtingit dupliciter, ab solute, & si sit commune omni virtuti: & sub aliqua ratione speciali, id est offerendo ei aliquid in recognitionem propriæ seruitutis, & sic spectat solum ad latriam.

Ad tertium dicendum, quod aliud est seruire Deo, & aliud exhibere ei aliquid in recognitionem propriæ seruitutis, quod propriè pertinet ad latriam; seruire ergo Deo est commune omni virtuti, seruire Deo hoc modo, offerendo ei aliquid seruitium in recognitionem propriæ seruitutis, est proprium opus latriæ. Argumentum ergo magis arguit oppositum, quàm propositum, quia arguit latriam non esse virtutem generalem, sed specialem, cum habeat proprium modum seruiendi Deo, sibi sacrificia offerendo.

Opera aliarũ virtutum, vt sunt ad laudẽ Dei, spectant ad latriam materialiter, & hoc modo potest dici virtus generalis: dicitur specialis ratione suæ formalitatis.

Ad quartum dicendum, quod opera aliarum virtutum, vt sunt ad laudem Dei possunt dici fieri à latria materialiter, quia hoc potest dici esse proprium latriæ, offerre quæcunque in recognitionem propriæ seruitutis, & ad laudem, & reuerentiam. Ideo omnia opera, quæ facimus, possumus referre ad laudem Dei, & per illa opera bona recognoscere nos seruos Dei, & assumere ad laudem Dei. Propter quod, licet illa bona opera possint esse elicita ab alijs virtutibus, materialiter tamen pertinebant ad latriam, prout assumit ea ad proprium finem suum, ad laudem scilicet, & reuerentiam Dei.



ARTIC. III.

*Utrum latria sit virtus Theologica.
Conclusio est negatiua.*

D. Thom. 2. 2. q. 81. ar. 5. Caiet. ibidem. Suarez de Relig. tract. 1. lib. 3. cap. 3. D. Bonau. in 3. d. 9. art. 2. q. 3.



TERTIO, dato quod latria non sit virtus generalis, sed specialis: quaeritur, Vtrum sit virtus Theologica. Et videtur, quod sic. Quia Augustinus in Enchiridio cap. 3. ait: *Si quaeratur quonam modo sit colendus Deus? Respondeo, Fide, Spe, & Charitate.* Sed omnes hæ virtutes sunt Theologicae: ergo latria, qua colitur Deus, virtus Theologica est dicenda.

D. P. Aug. in Enchirid. e. 3. tom. 3.

Præterea. Virtus Theologica dicitur, quæ habet Deum pro obiecto, sicut fides, qua creditur Deus trinus, & vnus, & sicut charitas, qua diligitur Deus: sed latria, vt videtur, habet Deum pro obiecto, quia ea colitur Deus: ergo est virtus Theologica.

Præterea. Virtutes Cardinales, & aliæ virtutes morales tenent medium inter superfluum, & diminutum: sed latria non est huiusmodi virtus, cum Deus non possit nimis coli: ergo non est virtus moralis, sed Theologica.

Præterea. Latria videtur habere eundem modum cum charitate, quia charitatis modus est non habere modum, non enim potest Deus tantum diligi, quin sit plus diligendus; sic latriæ modus est non habere modum, quia non potest Deus tantum coli, quin sit magis colendus: ergo &c.

IN CONTRARIUM est, quia nulla virtus Theologica habet actum exteriorem, sed interiorem tantum: nam virtutes Theologicae sunt tres, Fides, cuius est credere: Spes, cuius est sperare: & Charitas, cuius est diligere, iuxta illud: *Nunc autem manent tria hæc, Spes, Fides, Charitas.* Cum ergo latria habeat actum

1. Cor. c. 13

actum exteriorem, quia eius est offerre sacrificia Deo: ergo &c.

RESOLVTIO.

Virtutes Theologicae non habent pro obiecto immediato aliquid exterius, sed ipsum Deum. Virtutes autem Cardinales habent pro obiecto immediato aliquid exterius: cuiusmodi est latria, quae habet pro immediato obiecto res exteriores, idest sacrificia, quae offerimus: ideo dicitur virtus Cardinalis: non Theologica.

RESPONDETVR,

quod virtutes Theologicae, vt etiam communiter dicitur, in hoc differunt ab alijs virtutibus, quia habet Deum pro obiecto, & fine, sed aliae virtutes non habent Deum pro obiecto, sed pro fine: Ponamus ergo, quod Deus praecipiat, fideles bellare contra infideles, sicut in veteri testamento populus Israeliticus, qui erat Dei populus fidelis, & peculiaris, bellabat contra alios, & aliquando mandato eiusdem Dei desistebat à bello, dicente Domino Zacch. 10. *Bellabunt, quia Dominus est cum eis*: Quantumcunque ergo praeciperet Deus bellare, propter hoc tamen bellare non pertinet ad virtutem Theologicam, nec est actus elicitus à virtute Theologica, quia actus elicitus ab huiusmodi virtute non est circa aliquid exterius, sed solum est circa Deum, cuiusmodi est fides, cuius actus est credere in Deum, & spes, cuius actus est sperare in Deum, & charitas, cuius actus est diligere Deum. Omnes ergo virtutes Theologicae habent actus suos circa Deum, sed Augustinus 3. Confession. loquens de Deo, ait: *Tu eras intimior intimo meo*. Deus ergo est magis intimus nobis, quam intima nostra sint intima nobis. Actus autem circa Deum, cuiusmodi sunt actus virtutum Theologicarum, non sunt actus circa aliquid exterius, sed circa aliquid interius, idest circa Deum, qui est intimior intimo nostro. Et ideo Cantic. 1. cum dicebat sponsa sponso suo, qui erat verus Deus. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam, &c.* Respondet Christus sponsus, qui erat verus Deus. *Si*

Aegid. super iij. Sent.

A *ignoras te à pulcherrima inter mulieres, &c.* quasi dicat. à sponsa, tu ignoras teipsam, quia non debes quaerere me absentem, sed praesentem, non exteriorem, sed interiorem, non extra teipsam, sed in teipsa: quia ego sum interior intimo tuo, & sum intimior tibi, quam tu ipsa tibi, quia magis facio ad conseruationem tui, quam facias tu ipsa, ideo merito dici debeo intimior tibi, quam tu ipsa tibi. Et quia actus omnium virtutum Theologicarum sunt circa Deum, quia habent pro obiecto, qui est sic intimus nobis. Ideo omnes virtutes elicentes actus exteriores, & circa haec exteriora non possunt esse Theologicae. Bellare ergo quantumcunque praeciperetur à Deo, quia est circa res exteriores, non potest esse virtutis Theologicae, sed est virtutis Cardinalis, quia est actus fortitudinis, ad quam spectat exercere opera bellica. sic in proposito, actus latriae praecipitur in primo mandato legis, vbi praecipitur, latriam non esse exhibendam idolis, sed Deo: Tamen quia latria est circa haec sacrificia exteriora, quae offerimus Deo in recognitionem propriae seruitutis: latria ergo pro immediato obiecto habet has res exteriores, cuiusmodi sunt sacrificia, quae offerimus Deo, siue sint panes, siue vinum, siue animalia, vt par turturum, aut duos pullos columbarum, siue sint quaecunque alia, quae praecipiebantur in lege veteri, & adhuc obseruantur in lege Euangelica, prout talia sunt non ceremonialia, & figuratiua, quia omnia in figura contingebant illis, sed prout sunt moralia, & virtutis expressiua, quia per talia sacrificia exteriora verè exprimimus, & significamus nos esse seruos Dei. Dicere ergo latriam, quae est circa haec exteriora esse virtutem Theologicam, quarum virtutum Theologicarum omnes actus sunt circa interiora, quia sunt circa Deum, qui est intimior nobis, quam nos nobis, est ignorare vim verbi.

Ex his ergo patet solutio ad quaestionem tertio propositam, quia latria non est virtus Theologica, sed Cardinalis: ad quam virtutem verò Cardinalem reducatur, declarabitur in solutione quaestionis quartae, quae de hoc specialiter quaerit.

H h 2 RESP.

Non debemus quaerere Deum extra nos ipsos, cum ipse sit intimior nobis intimo nostro.

Obiectum virtutum Theologicarum est Deus.

Bellare, vt praecipitur à Deo, non est actus virtutis Theologicae, sed Cardinalis.

Latria circa quae praecipitur: & quod nam sit eius proprium obiectum.

Illia sacrificia veteris legis, quae in lege noua etiam obseruantur: non obseruantur vt ceremonialia, & figuratiua, sed vt moralia, & virtutis expressiua.

Virtutum Theologicarum discrimen ab alijs virtutibus.

Omnes virtutes morales habent Deum pro fine, sed non omnes habent Deum pro obiecto

Zac. c. 10.

Actus eliciti a virtutibus Theologicis non sunt circa aliquid exterius.

D. P. Ang. 3. confess. tom. 1.

Cant. c. 1.

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum dicendum . Cùm dicit Augustinus , quòd Deus colitur fide , & charitate , non sic intelligendum est , quòd cultus diuinus , de quo hic loquimur , qui pertinet ad latriam , eliciatur ab omnibus ijs virtutibus ; sed quia huiusmodi virtutes ordinant ad diuinum cultum , vel deseruiunt huiusmodi cultui . Nam ad huiusmodi cultum , quem elicit virtus , quæ est latria , deseruit fides , ostendendo cui debetur talis cultus , quia debetur soli Deo , in quem fides credit . Ad huiusmodi autem cultum deseruit spes , per quam speramus in eum , cui debetur talis cultus : Deseruit etiam charitas , per quam diligimus eum , cui debetur talis cultus . Istæ ergo virtutes Theologicæ , Fides , Spes , & Charitas non assumuntur hoc modo , vt eliciunt actum latriæ , & vt se habent ad actum latriæ formaliter , sed vt se habent ad actum latriæ materialiter , videlicet , prout latria vtitur actibus omnium istarum virtutum , non vt eliciuntur ab ea , sed vt materialiter deseruiunt ei ; sicut enim magnanimitas potest vti actibus omnium virtutum , non formaliter , vt sunt huiusmodi actus , sed materialiter , prout talia possunt esse materia , ex qua oritur honor , circa quem magnanimitas versatur formaliter ; sic latria potest vti actibus virtutum Theologicarum , non secundum se , & vt eliciunt actus , sed materialiter , prout tales actus , modo quo dictum est , deseruiunt virtuti latriæ : quia ad hoc potest deseruire fides , ostendendo illum , cui debetur talis cultus : & spes , & charitas possunt etiam huic cultui deseruire , modo quo dictum est ; sed hoc est materialiter , prout actus eorum ordinantur materialiter ad talem cultum , non formaliter , & elicitivè , quia dictæ virtutes Theologicæ eliciunt tales actus exteriores , qui requiruntur ad talem cultum .

Ad secundum dicendum . Cùm dicitur , colo , vel adoro Deum , quod pertinet ad latriam , quamuis istæ actus videatur transire in Deum , tanquam in-

A obiectum , tamen ad specificationem virtutis debet videri modus , secundum quem talis actus refertur in Deum : constat autem , quòd actus latriæ immediatè terminatur ad istas res exteriores , quas assumimus ad exhibendam debitam reuerentiam Deo , & ad ostendendum nos esse seruos Dei : cuiusmodi sunt , vel sacrificia , quæ offerimus Deo , vel genuflexiones , vel prostrationes corporales , per quas exhibemus reuerentiam Deo , & nos esse seruos Dei ostendimus . & quia illud est obiectum virtutis proprium ,

B circa quod propriè versatur virtus , ideo latria , vt est virtus , pro obiecto habet ista exteriora : Tamen , quia hæc omnia , facit propter Deum , non pro obiecto , sed pro fine habebit Deum . Est ergo latria virtus , non Theologica , quæ habet Deum pro obiecto , & fine , & quæ non versatur circa hæc exteriora : sed erit virtus moralis , quæ versatur circa hæc exteriora , & quæ non habet Deum pro obiecto , sed pro fine .

Ad tertium dicendum , quòd superfluum , & diminutum in virtutibus moralibus , non semper attenditur secundum quantiatem absolutam , sed secundum circumstantias , vt fiat ei , cui fieri debet , & eo modo , quo fieri debet , & eo animo , & ea intentione , qua fieri debet . Et propter hoc latria est virtus , non quòd colat Deum plusquam debet , quia Deo , & parentibus non possumus reddere equalens , sed tenet medium quantum ad circumstantias , & vitia opposita huic virtuti , quæ non tenent huiusmodi medium , quia non exhibet seruitutem Deo , cui debet , sed idolo , cui non debet , & supersticio , quæ posset dici vitium oppositum latriæ , non tenet medium , quia non facit modo quo debet , vel animo , quo debet .

Ad quartum dicendum , quòd conuenire aliquo modo cum aliqua virtute , non est esse illam virtutem , & ideo si latria aliquo modo conuenit cum modo charitatis , cum quantum ad excessum non habeat modum , quia non potest Deum colere plusquam debet , sicut charitas non potest plus diligere , quam debet , tamen latria non est idem , quod charitas , nec est virtus Theologica , quia

Negatur mihi not argumēti : quia latria nō habet Deū pro immediato obiecto , sed pro fine .

Quomodo virtutes Theologicæ deseruiunt latriæ .

Virtutes Theologicæ ad actum latriæ potest se habere duobus modis : formaliter , vel materialiter . secūdo modo conceditur , primo negatur .

Latria tenet medium , potest intelligi dupliciter , vel quā tam ad actū colēdi Deū vel quā ad circumstantias : nō tenet mediū primo modo , sed secundo .

Superstitio latriæ oppositur .

Aliud est aliquo modo conuenire , & aliud esse idē . primum conceditur de latria respectu charitatis ; secundū negatur , quia formaliter differunt , & realiter .

virtutes Theologicę formaliter, & elicitiuè loquendo, non habent actus exteriores, sed interiores, latria verò etiam formaliter loquendo, & elicitiuè habet actus exteriores, quia elicit actus circa hæc exteriora sacrificia, per quę seruit Deo, vt est per habita manifestum.

ARTIC. IV.

Ad quam virtutem Cardinalem latria reducatur, vel cui virtuti Cardinali adnectatur, & an reducatur ad iustitiam. Conclusio est affirmativa.

D. Thom. 2. 2. q. 89. art. vnicu. Caiet. ibidem.



QUARTO dato, quòd latria sit virtus, & dato, quòd sit virtus specialis, & dato etiam, quòd non sit virtus Theologica, Queritur, ad quam virtutem

Cardinalem, vel cui virtuti Cardinali annectatur. Et videtur, quòd non reducatur ad iustitiam, neque annectatur iustitię, de qua magis videtur. Nam iustitia, prout est virtus specialis, & prout est vna de quatuor virtutibus Cardinalibus, consistit in communicatione hominum viuentium secundum actiuam vitam; sed in hac presentia vita, in qua utimur virtute latrię, non habemus communitatem cum Deo, iuxta illud Daniel. cap. 2. *Exceptis Dijs, quorum non est cum hominibus conuersatio*: ergo nostri ad Deum non potest esse iustitia, cum inter nos, & ipsum non possit esse conuersatio: latria ergo, quę soli Deo debetur: vt videtur, non pertinet ad iustitiam.

Dan. c. 2.

Arist. 5. Ethic. c. 16.

Præterea. Secundum Philosophum lib. 5. Ethic. non est propriè iustitia inter dominum, & seruum: quia seruus quicquid est, & quicquid habet, totum est domini, secundum quem modum nec homines liberi ad seipsum est propriè iustitia, quia homo liber quicquid est, & quicquid habet, totum est sui ipsius; sic etiam nec patris ad filium propriè est iustitia, quia filius, propriè loquendo, est

Aegid super iij. Sent.

A quędam pars parentis, sed quicquid habet pars, totum est totius, vt non possit inter patrem, & filium esse iustitia: sed Deus hoc triplici modo se habet ad nos, quia est Dominus noster, & pater noster, & est quoddam totum respectu nostri, iuxta illud Deuter. 32. *Nonne ipse est pater tuus, qui possedit te*, sicut totum possidet partem. *Fecit te, & creauit te*. Propter quod est Dominus noster, & Deus noster; nostri ergo ad Dominum non potest esse iustitia, sicut nec filij ad patrem, nec serui ad dominum, nec partis ad totum; latria ergo quę est nostri ad Dominum, quia est seruitus, quam debemus Deo, non est iustitia, nec pars iustitię.

Deut. c. 32.

Præterea. Iustitia, de qua hic loquimur, consistit in quadam equalitate, non solum secundum rationem, sed etiam secundum rem, vt si aliqui duo sic se habeant, quòd vnus habeat sex, & alius duo: quia sex & duo sunt octo, & medietas de octo est quatuor, cuiuslibet dabuntur quatuor, vt fiat iustitia inter eos, & reddatur vnicuique quod suum est: sed inter Deum, & nos non potest esse equalitas, quia non possumus ei reddere totum, quod sibi debetur: ergo non potest esse ibi iustitia; latria ergo qua colitur Deus, & redditur Deo quod sibi debetur, iustitia dici non debet.

IN CONTRARIUM est, quia reddere debitum est actus iustitię: sed latria est cultus Deo debitus: ergo latria, vel est iustitia, vel aliqua pars iustitię.

Præterea. In Scriptis communibus habetur, quòd Tullius posuit religionem speciem iustitię; cum ergo religio sit idem quod latria, vt in profequendo patebit, consequens est, quòd latria sit species iustitię, vel aliqua pars iustitię.

D. Tho. 2. 2. q. 81. a. 1. Tullius 2. Rethor. pa. 44. circa finem.

RESOLVTIO.

Latria virtus ad iustitiam reducitur, quia sicut iustitia est virtus, reddens vnicuique, quod suum est: ita latria reddit Deo reuerentiam, quę ei debetur. Non est tamen propriè iustitia, tum quia iustitia consistit in quadam communicatione, & equalitate, quę inter
Glg 3 Deum,

Deum, & nos esse non potest; cum etiam, quia iustitia est ad alterum, nos autem totum quod sumus, ipsius Dei sumus.

DICENDVM, reduci ad iustitiam, non simpliciter loquendo; quod latría sit iustitia, sed secundum aliquem modum, quia habet aliquem modum iustitiæ. Nam cum duplex sit iustitia legalis, quæ est omnis virtus, non formaliter, sed materialiter; agit enim iustitia legalis opera omnium virtutum, non secundum se, nec sub hac ratione, ut sunt opera virtutum, sed quia præcipiuntur in lege, & ideo agit omnia talia opera sub hac speciali ratione; quia vult implere legem. Formaliter ergo loquendo, iustitia legalis, ut supra fufius diximus, est virtus distincta ab omnibus alijs virtutibus. Sed dimissa hac iustitia legali, quæ modo, quod dictum est, est virtus generalis, non formaliter, sed materialiter, accipitur alio modo iustitia, ut est virtus specialis, qua redditur unicuique quod suum est. Latría ergo, qua colitur Deus, & qua exhibetur Deo debita reuerentia, oportet, ut sit quædam iustitia, tamen propriè, & simpliciter loquendo, non debet dici iustitia propter tria. Primò, quia talis iustitia in quadam communicatione consistit, sed Dei ad nos non est communicatio, nec conuersatio, iuxta illud, quod habetur in Daniele: *Dij sunt illi, quorum cum hominibus non est conuersatio.* Secundò, inter nos, & Deum non potest esse iustitia, simpliciter loquendo, quia iustitia sic sumpta in quadam æqualitate consistit. Tertio, inter Deum, & nos non potest esse talis iustitia, quia huiusmodi iustitia est ad alterum, sed seruus non est quid alterum à domino, sed secundum se totum est quædam res domini, & specialiter talis domini, de quo loquimur, cuiusmodi est ipse Deus, à quo habemus, quicquid habemus, dicente Apostolo 1. Corinth. 4. *Quid autem habes, quod non accepisti? Nihil enim habemus, quod non acceperimus à Deo ipso; totum ergo quod habemus est ipsius Dei; sicut ergo eiusdem ad seipsum non est iustitia, dicente Philosopho: Nihil potest sibi ipsi iniustum facere, sic nostri ad Deum, non est propriè iustitia, quia nihil habemus, quod*

Iustitia legalis duplex.

Iustitia legalis materialiter est omnis virtus; non autem formaliter.

Iustitia ut est virtus specialis reddit unicuique quod suum est.

Latría propriè loquendo cur non dicatur iustitia.

Daniel. c. 2

1. Cor. c. 4.

Arist. 3. Ethic. c. 2.

A sit nostrum, sed totum est Dei. Si ergo esset iustitia nostri ad Deum, esset quasi iustitia Dei ad Deum. Immò sic per omnem modum omnia nostra sunt Dei, ut si essent annihilata, posset Deus ea reficere, etiam eadem numero, sicut vellet: Simpliciter ergo loquendo nec filij ad patrem est iustitia, quia filius est quædam res patris, nec serui ad dominum est iustitia; est tamen ibi quidam modus iustitiæ, prout dominus reddit seruo, quod sibi debet, quia debet ipsum tueri, defendere, & conseruare: nisi propter offensam serui, vel propter peccatum serui, faciendo de seruo iustitiam, ipsum destruat, vel ipsum perire permittat. Sic è conuersò, potest esse quidam modus iustitiæ inter seruum, & dominum, quando seruus, etsi non facit totum quod debet respectu domini, quia hoc est impossibile nos reddere totum quod debemus: tamen quando facimus pro Deo quicquid possumus, Deus hoc acceptat. Non est ergo hæc iustitia simpliciter, sed est quidam modus iustitiæ, & potest tale iustum dici iustum dominatum, quale est inter Deum, & seruum.

Nostri ad Deum non est propriè iustitia; nec serui ad dominum, nec filij ad Patrem, licet sit quidam modus iustitiæ.

Iustum dominatum quid sit.

RESP. AD ARGUMENTA.

Et per hoc potest patere solutio ad duo prima argumenta, quia arguebant de iusto simpliciter, vel de æqualitate simpliciter, cum idem sit iustum, & æquale. Quod æquale, simpliciter loquendo, inter dominum, & seruum, vel inter nos, & Deum esse non potest.

Argumentum primò, & secundò concludunt de iustitia simpliciter, quæ inter Deum, & nos esse non potest.

Ad tertium autem, in quo astruitur, nos non posse reddere æquale Deo, vel totum quod debemus Deo. Dicendum, quod modus iustitiæ, qui est filij ad patrem, vel hominis ad Deum non requirit æqualitatem, ut exhibeatur Deo secundum eius dignitatem, sed secundum nostram possibilitatem. Et ideo Philosophus in 8. physic. ait, quod non in omnibus reddendum est secundum dignitatem, quemadmodum se habet in honoribus, qui ad Deos, & parentes: Nam talibus, scilicet dijs, & parentibus non reddimus honores, vel non honoramus Deum, & parentes secundum eorum dignitatem, à quibus

Reddere Deo æquale dupliciter intelligi potest, vel secundum eius dignitatem, vel secundum nostram possibilitatem. Primo modo non possumus: secundo modo tenemur.

bus habemus esse, & disciplinam, sed secundum nostram possibilitatem.

QVAESTIO SECUNDA
PRINCIPALIS.



OSTEA quaeritur de secundo principali in hac secunda parte huius nonae distinctionis, cui sit latria exhibenda. & habet haec

Quaestio Articulus sex.

Primus. Vtrum latria sit exhibenda humanitati Christi.

Secundus. Vtrum imagini Christi sit exhibendus cultus latriae.

Tertius. Vtrum Crux Christi sit adoranda adoratione latriae.

Quartus. Vtrum B. Virgini sit latria exhibenda.

Quintus. Vtrum honor latriae sit exhibendus Sanctis.

Sextus. Vtrum alicui creaturae possit sine peccato exhiberi honor latriae.

ARTICVLVS I.

Vtrum latria sit exhibenda humanitati Christi. Conclusio est affirmatiua.

D. Thom. 3. p. q. 25. ar. 2. Caiet. Medina ibidem. Vasq. disp. 98. cap. 2. Cabrera disp. 1. 2. & 3. Ragula tom. 2. disput. 38. Argent. in 3. d. 9. 1. Lychet. d. 9. q. 1. Scot. ibid. D. Bonau. d. 9. q. 1. ar. 1. Richard. q. 1. Durand. q. 2.



D hoc sic proceditur, Videtur, quod non sit exhibenda latria humanitati Christi; Nam Glossa super Psal. 98. super illo verbo *Adorate scabellum pedum eius* ait; *In Christo terra*, idest caro, quam suscepit de Maria Virgine, est scabellum pedum eius, quae sine impietate, a

Glossa D. P. Augustini in Ps. 98.

Verbo Dei assumpta, adoratur. & subditur in Glossa: *Nemo carnem eius dignè manducat, nisi prius adoret.* & subditur ibidem. *Non illa dico adoratione, quae latria dicitur, quae soli Deo debetur, sed illa, quae dulia dignior est*, idest hyperdulia: ergo secundum hanc Glossam caro Christi, vel humanitas Christi non est adoranda latria, sed est adoranda illa adoratione, quae est dignior dulia, idest hyperdulia.

Nota, quod ista Glossa additio non reperitur, neque in antiquis, neque in recentibus codicibus: illam nihilominus adducit D. Tho. in 4. sent. d. 9. q. 1. 2. 3. argum. 1. in ordine.

Præterea. Licet in Christo non sit distincta persona, quia non est in eo, nisi vna persona, est tamen in eo distincta natura, quia est in eo alia, & alia natura. Cum ergo naturae diuinæ debeat adoratio latriae: naturae ergo humanae, quae est alia à natura diuina, debetur alia adoratio, & alia reuerentia, quàm latria.

Præterea. In Christo non solum natura diuina est distincta à natura humana, & vna non prædicatur de alia, quia natura diuina non est natura humana, nec è conuersò, sed etiam natura humana, est alia, & est distincta à persona Verbi, & vna non prædicatur de alia, quia persona Verbi non est humana natura, nec è conuersò; sed ijs, quae sunt alia, & alia, & vnum non prædicatur de alio, debetur alia, & alia reuerentia, vel alia, & alia adoratio. Naturæ ergo diuinæ, & personæ Verbi, quia vnum prædicatur de alio, & vnum est aliud, natura enim diuina est persona Verbi, & è conuersò, ideo debetur eis vna adoratio, & vna reuerentia, quæ dicitur latria, sed naturæ humanæ, vel humanitati Verbi, quæ est alia res à persona Verbi, & à Deitate Verbi, & vna non prædicatur de alia, quia Deitas Verbi non est eius humanitas, nec persona Verbi est sua humanitas, nec è conuersò: Ideo videtur omninò concedendum esse, quod humanitati Christi, tanquam alij rei, debeat alia reuerentia, & alia adoratio, quàm latriæ, quæ debetur personæ Verbi, & Deitati eius,

Præterea. Latria exhibetur in quantum est Deus noster per creationem: cum ergo creare non competat humanitati Christi: ei non erit latria exhibenda.

IN CONTRARIVM est, quia (vt habetur in Symbolo) *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus*

D. Athan. in Symb.

Deus, & homo unus est Christus. Deitas A ergo & humanitas ita se habent ad Christum, qui est Deus, & homo, sicut anima rationalis, & caro se habent ad quendam alium hominem, qui est purus homo: sed animę rationali, & carni debetur eadem reuerentia, vt hic de reuerentia loquimur, quia debetur illa reuerentia, quę debetur purę creaturę: ergo humanitati, & Deitati Christi debebitur eadem reuerentia: sed Deitati debetur latria: ergo & humanitati.

D. P. Aug.
D. Damasc.

Pręterea, vt habetur in littera per Io. Damascenum, & per Augustinum, caro B Christi adoranda est adoratione latrię: ergo &c.

RESOLVTIO.

Humanitati Christi secundum se cultus latrię non debetur, quia pura creaturali adoratione adorari nequit, sine mortali culpa. Sed, vt est vnita Dei Filio, latria est adoranda, quia, si Regis purpura, quę non est ei vnita in vnitatem persona, eodem honore, quo Rex ipse honoratur; multo magis Christi humanitas, quę est vnita Dei Filio in vnitatem persona, eadem adoratione latrię adorari debet, quia ipsemet Dei Filius adoratur. C

RESPONDEO: id quod facit dubium in hac quęstione, videtur ex hoc oriri; Nam si esset quęstio de natura diuina, quia vtrumque est quid increatum, tam natura, quàm persona, nullum haberet dubium, quin personę in tali natura, vel naturę in tali persona, honor latrię deberetur, sed quia humanitas Christi potest dici quędam creatura, & persona Christi est quid increatum, licet ipsi personę Christi, quę est quid increatum, debetur honor latrię, tamen humanitati Christi, quę potest dici quędam creatura, & quędam natura creata, cum huiusmodi naturam Christus acceperit ex Virgine, non ab æterno, sed ex tempore, ideo non videtur possibile, quod tali humanitati exhibeatur honor latrię, nisi talis honor exhibeatur ipsi creaturę, quod sine periculo, & sine mortali peccato non videtur posse fieri, vt honor debitus soli

Ratio dubi
candi.

Latrię honor exhiberi secundum se creaturę non potest sine mortali peccato.

Deo, exhibeatur alicui creaturę: Sed si considerentur dicta Sanctorum, & Doctorum, posita in littera, omninò cogimur dicere, quod humanitati Christi debeat honor latrię: non obtante, quod talis honor soli Deo sit exhibendus. Nam sicut alius honor debetur Deo, qui est creator noster, & alius creaturę, sic alius honor debetur Regi, & alius honor debetur militi. Si quis ergo adoraret Regem purpura indutum, oporteret, vt illum eundem honorem, & illam eandem reuerentiam exhiberet purpurę, qua esset Rex indutus, quam exhibet Regi, nec de hoc posset puniri. Et si diceretur ei, si tu deberes adorare Regem, non debes adorare purpuram: posset rationabiliter respondere, quod non adorat purpuram, sed Regem in purpura, vel non adorat purpuram, sed Regem purpuratum, & indutum purpura; sic in proposito, honorem latrię, quę debetur soli Deo, non exhibemus humanitati, vel saltem carni secundum se, sed exhibemus talem honorem ipsi Deo humanato, vel induto carne, quia adorando Christum, non adoramus Deum nudum, sed Deum carne indutum. Propter quod Damascenus lib. 3. cap. 12. ait de Beata Virgine: *Non genuit nudum hominem, nec nudum Deum, quia genuit hominem Deitati unitum, & genuit Deum carne vestitum. Talis enim fuit illa vnio, secundum Augustinum (vt supra sepe diximus) in 1. de Trin. quod Deum fecit hominem, & hominem Deum.* Non ergo adoramus purum hominem, sed hominem Deum, nec adoramus nudum Deum, sed adoramus Deum indutum carne, & quia idem honor, & eadem reuerentia debetur personę Filij Dei, qui est verus Deus, & carni eius, qua est indutus, & quia Dei Filius tanquam verus Deus est adoratione latrię adorandus, ideo carni eius, & humanitati eius, qua est indutus Filius Dei, est adoratio latrię exhibenda. Arguamus ergo per locum à minori, Nam si purpura regis adoratur eadem adoratione, & honoratur eodem honore, quo honoratur Rex ipse, multo magis humanitas Christi, qua est indutus ipse Dei Filius, qui est verus Deus, debet honorari honore latrię, & adoratione latrię adoratur. Nam humanitas

Hoc ipso exemplo videtur D. P. Aug. serm. 58. de Ver. Dom. Epiphanius in Anchorato Damasc. lib. 3. c. 8. Qui regis purpuram adorat, non adorat purpuram, sed regem in purpura.

D. Damasc. lib. 3. c. 12.

D. P. Aug. lib. 1. de Trin. to. 3.

Cum Christum adoramus, non puram hominem adoramus, sed Deum carne indutum.

Argumentum per locum à minori.

Magis est vnita caro Dei Filio, quam purpura Regi: si ergo illa adoratur eadē adoratione, qua adoratur Rex, multo magis illa.

Dei Filio honor latriæ debetur secundū se humanitati eius, non secundū se, sed vt est vnita Dei Filio.

Gloss. super epist. ad Gal. 4.

nititas Christi magis vnita Dei Filio, quam purpura, qua indutus est Rex, sit vnita Regi. Nam, vt patet, purpura, qua indutus est Rex non est assumpta in vnitatem personę regis, immo sepē sepius eam deponit Rex, sed humanitas, qua indutus est Filius Dei, assumpta est in vnitatem personę Filij Dei, & postquam eam assumpsit, nunquam eam dimisit Dei Filius, vt ex hoc idem honor, & eadem reuerentia debeat illi humanitati, qua est indutus Dei Filius, & quæ debetur ipsi Dei Filio; Aliter tamen, & aliter, quia Dei Filio debetur honor, & reuerentia secundū se, etenim secundū se Dei Filius est verus Deus, cui talis honor, & reuerentia exhibetur, seu debetur, & ex debito exhibetur; sed humanitati Christi exhibetur talis honor, & reuerentia non secundū se, sed prout ea est indutus Filius Dei, qui est verus Deus. Sicut ergo Regi exhibetur honor Regis secundū se, purpuræ autem, qua est indutus Rex, non exhibetur talis honor secundū se, sed prout ea est indutus Rex. Sententia autem omnium istorum potest haberi ex verbis positis in littera huius distinctionis; & ex ijs, quæ habentur ex Glossa ad Galatas cap: 4.

RESP. AD ARGUMENTA.

Adorationē latriæ debetur humanitati Christi intelligi potest dupliciter, vno modo scilicet se, & sic negatur; altero modo vt ea est indutas Dei Filius, & sic conceditur & Gloss. intelligitur.

Ad primum ergo, cum arguitur, quod humanitati Christi non debetur adoratio latriæ, exponenda est illa Glossa psalterij quod humanitati Christi non debetur adoratio latriæ secundū se, sed debetur ei talis adoratio, prout ea est indutus Filius Dei; sicut purpuræ secundū se non debetur honor Regis, sed debetur ei talis honor, prout ea est indutus Rex. Si quis ergo inueniret purpuram separatam à Rege, non adoraret eam: sed esset reus mortis, si quis inueniret Regem indutum purpura, & non adoraret eum cum tali purpura, & per consequens, si non adoraret talem purpuram. Aduertendum tamen quod purpura potest separari à Rege secundū esse, quia potest esse sine Rege, & Rex sine ea, sed humanitas Christi non potest separari à Dei Filio secundū esse, quia postquam Dei Filius assumpsit humanitatem illam, nunquam fuit sine ea, vel sine partibus eius. Dicimus autem si-

A ne partibus eius, quia in morte Christi partes humanitatis Christi fuerunt ab inuicem separatæ, quia anima, secundū quam Dei Filius descendit ad inferna fuit separata à carne, secundū quam Dei Filius iacuit in sepulchro: sed Dei Filius nunquam fuit separatus, nec ab anima, nec à carne: ergo secundū esse, Dei Filius nunquam fuit separatus ab humanitate, vel a partibus humanitatis: & quamuis Dei Filius nunquam fuerit separatus secundū esse ab humanitate, vel à partibus eius, potest tamen fieri separatio secundū considerationem, quia possumus considerare illam humanitatem secundū se, secundū quem modum non competit ei adoratio latriæ, vt patuit in solutione principali.

Dei Filius humanitatē assumptam quam dimisit neq; secundū se, tantam, neq; secundū partes.

Humanitas à Verbo secundū esse, est inseparabilis, potest tamen separari secundū considerationē

Respondetur, vt dictū est ad primum.

Ad secundum dicendum, quod adoratio latriæ competit personæ Verbi, & humanitati eius, aliter tamen, & aliter, quia personæ Verbi debetur talis adoratio secundū se, sed humanitati Verbi debetur talis adoratio, non secundū se, sed prout ea est indutus Filius Dei, sicut honor Regis debetur Regi secundū se, at verò purpuræ non debetur honor secundū se, sed prout ea est indutus Rex.

Ad tertium dicendum, quod triplex est prædicatio, denominatiua, essentialis, & per identitatem; Omnes autem hæ tres prædicationes inueniuntur in natura diuina respectu personarum ibi existentium; Nam Deitas prædicatur de personis denominatiuè, quia quælibet persona ibi existens dicitur diuina: prædicatur etiam essentialiter, quia quælibet persona ibi existens est naturaliter, & essentialiter Deus; prædicatur item Deitas de diuinis personis per identitatem, quia quælibet persona ibi existens est sua Deitas: Omnes autem hi tres modi prædicandi habent suam rationem, & causam: nam Deitas prædicatur de personis ibi existentibus denominatiuè propter alietatem prædicatorum; in diuinis enim sunt duo prædicamenta, substantia, & relatio, vt vult Boetius in suo libro de Trinitate. Deitas ergo est in prædicamento substantiæ, sed persona est in prædicamento relationis, ideo dicitur de diuinis personis, quod hæc dicuntur relatione, cum

Boet. lib. de Trin.